
ΑΝΑΣΣΩΝ ΦΟΙΒΕ ΠΑΡΝΑΣΟΥ ΤΕ
ΚΡΑΝΑΝ ΚΑΣΤΑΛΙΑΝ ΦΙΛΕΩΝ

PHAEDRI

AVGVSTI LIBERTI

FABVLAE AESOPIAE

29548. — PARIS, IMPRIMERIE LAHURE
9, Rue de Fleurus, 9

PHAEDRI

AVGVSTI LIBERTI

FABVLAE AESOPIAE

RECENSVIT

VSVS EDITIONE CODICIS ROSANBONIANI

AB VLIXE ROBERT COMPARATA

LVDOVICVS HAVET

INSTITVTI GALLICI SOCIVS

PARIS

LIBRAIRIE HACHETTE ET C^{ie}

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1895

MEMORIAE · CARISSIMAE

IVLIANI · HAVET

FRATRIS · VNICI

SODALIS · DISCIPVLI · MAGISTRI

AMICI · IVCVNDI · REVERENDI

HVNC · LIBRVM · DEDICO

LVCEM · PRIMAM · NOCTEM · VLTIMAM · RECORDATVS

MORES · DOCTRINAM · INGENIVM · ANIMO · AMPLEXVS

PRAEFATIO

E ueteribus nemo Phaedrum nominat praeter Martialem et Auianum. Phaedri tamen fabulas apparet iam Quintiliani tempore pueris esse lectitatas.

Byzantinis saeculis facta est prosa oratione fabularum paraphrasis una nunc deperdita, Rufo nesciocui dedicata; ex ea defluxerunt cum Ademari Cabannensis sylloge, tum sylloge gemella ex qua sua hauserunt anonymus Wissemburgensis et pseudo-Romulus.

Aetate Carolina exstabat ipsius Phaedri codex mutilus et perturbatus *Y*, ex quo defluxerunt codices Remenses *PR*. Apud S. Benedictum Floriacensem descriptum est saeculo IX-X ex archetypo aliquo optimo fragmentum *D*. Saeculo XV medio fuit inter manus Nicolai Perotti in Italia Gallicus codex Phaedri non peruetustus, sed multas fabulas continens quae in *Y* perierant.

Per Perottum (1430-1480) innotuit hominibus doctis uniuersis fabula una Phaedri (quam ille incautus « Auieno » tribuerat), III xvii = 61. Per fratres Pithou innotuerunt a. 1596 reliquae codicis *P* fabulae. Per d'Orville et Burman innotuerunt a. 1727 nonnullae lectiones apographi Perottini *N*. Per Iannelli eiusque plagiarium Cassitto innotuerunt a. 1809-1811 fabulae quas solus Perottus seruauerat. — Fragmentum *D* primus adhibuit Rigault a. 1599, pseudo-Romulum Nevelet a. 1610, codicem *R* Rigault

a. 1617, anonymum Wissemburgensem Gude (apud Burman, a. 1698), Ademarum Nilant a. 1709, apographum Perottinum *V* Mai a. 1831. Laus est Leopoldi Hervieux quod paraphraseos πολυμορφοτάτης praesto sunt uno in libro formae omnes, partim ante ipsum incognitae[1]. Laus est Vlixis Robert quod non comparente codice quo Perottus usus est, combusto a. 1774 codice *R*, saltem edocemur certissime simul et facillime de codice illo insigni *P*, qui pretiosissimis marchionis de Rosanbo thesauris litterariis adnumerandus est.

Multi per tria saecula dederunt textui emendando et interpretando operam. In corrigendis mendis singulis nemo superauit primum editorem P. Pithou, multa tamen et optima inuenerunt, ut uetustiores tantummodo nominem, Rittershausen, Bongars, Saumaise, Scheffer, Gude; innumeris coniecturis indulsit inuita plerumque Minerua Nicolaus Heinsius; alias nec fere meliores reliquit moriens adulescentulus Cunningham. — Priorum conamina in corpus redegit a. 1698 Burman; a. 1806 molem inutilem congessit Schwabe; nemo tamen Phaedrum tractauit quin priorum sententias partim ignoraret ueteraque pro nouis imprudens uenditaret. Multis equidem et mihimet ipsi pauoninas pennas detrahere debui bona fide assumptas, uelut ad titulum fabulae 38 nomen meum deleui, quia emendationem meam praeripuit Stowasser; rursus deleui nomen Stowasseri, cui praeripuerat eandem emendationem Riese. Itidem gaudebam inuentis meis *memoria* 134,9, *priuŏs* 77,8, sed *memoria* proposuerat Halbertsma a. 1878, *priuŏs* Scheffer a. 1663. Quare putaui labori non esse parcendum, emendationesque alienas enotaui uel

1. Nuper apud monachos montis Athonis repperit Gregorius N. Bernardakis fragmenta Gualteri Anglici (Hervieux, II² p. 316-351); seruati sunt ibi uersus XLII 9 — XLVI 3, uersus LXII 9-14, uersus LX 1-63.

aperte prauas, non quo sperarem omnia me aut rettulisse aut etiam referre posse (tam difficile est tot editiones inter se comparare, ex quibus multas ne in manibus quidem habui), sed ut saltem fieret additamentis paratum receptaculum.

In rebus metricis diiudicandis caeci fuerunt omnes ante Bentley. Insignis in hac parte fuit, ut solet esse, opera Luciani Mueller. Cuius tamen placita introspicienda duxi et retractanda esse omnia, admotaque, uelut noua luce, ratione quadam arithmetica, confido depulsos esse ex latibulis suis errores nonnullos.

In definiendis temporibus bene meritus est Brotier, qui a. 1783 singulos prologos et epilogos suo quemque libro tribuit firma ratione primus. Ego nouam inuestigandi uiam duce Broterio assecutus ordinem non modo prologorum et epilogorum immutaui, sed etiam fabularum; cumque agnouissem uersus de Seiano non esse libri III, ut uulgo feruntur, sed re uera libri II, eo deueni ut Phaedri uitam longe aliter constituerem ac primum fas putabam. Ordine igitur maxime discrepat editio mea a prioribus.

Gratias ago uiris doctissimis Vlixi Robert, qui et incipiendae editionis auctor fuit et lectiones codicis Rosanboniani nondum ab se editas communicauit, et Leopoldo Hervieux, cuius bibliothecam opulentissimam in usum lectorum compilassem totam, tanta est humanitate, nisi mihi tempus defuisset.

Praeterea in corrigendis plagulis typographicis et ipse Robert et amici alii me adiuuerunt modo acie oculorum, modo mentis acumine.

EDITIONVM ET ADNOTATIONVM CONSPECTVS

Pithou. Ed. Petri Pithoei, 1596, omnium princeps, ex *P.*
Rittershausen. Ed. Rittershusii, 1598, ex *P.*
Schoppe. Schoppius siue Scioppius in ed Rittershusii, ex *P.*
Rigault. Edd. Rigaltii, 1599 (ex *PD*), 1617 (ex *PRD*), 1630.
Nevelet. Ed. Neueleti (cui P. Pithou auunculus, ut ipse ait p. 643) in Mythologia Aesopica, 1610, ex *PD* et Romulo apud Rimicium lecto.
de Meurs. Ed. Meursii, 1610, ex *PD.*
Bongars. Iacobi Bongarsii, mortui a. 1612, adnotationes ad marg. exemplaris Bernensis ed. Pithoeanae, publicatae ab Orelli in ed. a. 1832.
Gebhard. Gebhardus in Crepundiis, 1615.
Barth. Barthius in Aduersariis, 1624.
Saumaise. Adnotationes Salmasii, mortui a. 1653, laudatae in adnotationibus Gudii (i. e. in editione Burmanni a. 1698).
Guyet. Adnotatt. Guyeti, mortui a. 1655, publicatae in ed. Schefferi a. 1663.
Lefebvre. Ed. Tanaquilli Fabri, 1657.
Vrsin. Ed. Vrsini anonyma, Ratisbonae 1657.
Wase. Ed. Wasii, 1658. Non uidi; aliena laudare debui testimonia.
Buchner. Adnotationes Buchneri, mortui a. 1661, publicatae in ed. Freinsh.
Prasch. Ed. Praschii, 1660. Non uidi.
Freinsheim. Ed. Freinshemii, mortui a. 1660, publicata a. 1664.
Scheffer. Ed. Ioannis Schefferi, 1663. (*Scheffer*[a] : edd. recentiores.)
Io. Fr. Gronov. Gronouius pater in ed. Schefferi a. 1663.
Io. Fr. Gronov[f]. Gronouius (mortuus a. 1671) in ed. Iacobi filii, 1703.
N. Heinsius[a]. Adnott. Heinsii publicatae in editione Schefferi a. 1663. *N. Heinsius*[b] : eiusdem uiri, mortui a. 1681, adnotationes in editione Burmanni a. 1698. — Heinsii epistt. ad Schefferum u. in Sylloge epistularum a uiris illustr. scriptarum Burmanniana t. v (1727).
Axen. Ed. Axenii, 1671.
Danet. Ed. Daneti, 1675.
Gude. Adnotationes Marquardi Gudii, mortui a 1689, publicatae in editione Burmanni a. 1698. Primus usus est Gude anonymo Wissemb.
Ouvering. Correctiones ap. Tollium[a].
Tollius. Obseruationes Iacobi Tollii, mortui a. 1696, in ed Hoogstrat. a. 1701. *Tollius*[a] : eiusdem notae ed. a Schwabe in Burmanniana a. 1781.

Burman. **Edd. Burmanni prioris, 1698, 1718, 1727. — Burmanni correctiones ad appendicem Perottinam, ab ipso non editas, sicut Dorvillii testimonia a Burmanno non relata, laudaui ex Chr. D. Beck, Acta seminarii regii et societatis philologicae Lipsiensis, II (1812), p. 213 ss., et ex ed. Dressleri a. 1838 (hauserunt Beck et Dressler e libello Eichstadii, Noui prorectoratus auspicia d. VIII febr. 1812 rite capta ciuibus indic. Academia Ienensis; insunt Phaedri quae feruntur fabulae XXXII in Italia nuper repertae, nunc primum in Germania editae, adiunctis Dorvillii et Burmanni emendationibus, XII p. in-fol.).**

D'Orville (Dorvillius). **Vide *Burman.***

Van Hoogstraten. **Ed. Hoogstratani a. 1701 (ed. a. 1699 non uidi).**

Johnson. **Ed. a. 1708 (ed. a. 1701 non uidi).**

Iac. Gronov. **Gronouius filius in ed. a. 1703.**

Bentley. **Ed. Bentleii (cum Terentio et Publilio Syro), 1726.**

Hare. **Epistola critica (anonyma, in qua Bentleium castigat), repetita ad calcem editionis Burmannianae a. 1727.**

Cunningham. **Ed. a. 1757 (ed. a. 1751 non uidi), ex notis scriptis circa a. 1726 a Cuningamio in margine editionis Johnsonianae.**

Sanadon. **Adnotationes Sanadonis, mortui a. 1733, in quibus perspicuum est iam nosse Sanadonem editionem Burmannianam a. 1727, editae in ed. Broterii a. 1783. Quibus tacitus usus erat Philippe a. 1748.**

Gruner. **Spicilegium obseruationum ad Phaedri priores libros II, 1745.**

Philippe. **Ed. Steph. And. Philippe, 1748. Vide *Sanadon.***

Brotier. **Ed. a. 1783. Adhibuit Brotier ipsum codicem *P* et collationem Vincentianam codicis *R*.**

Croll. **Crollius ap. editores Bipontinos.**

Bipontini. **Ed. Bipontina a. 1784.**

Desbillons. **Ed. a. 1786. Vsus est collatione *R'*, quam laudat ad IV I.**

Bothe. **Ed. prima Bothii, 1803. — *Bothe** : Bothii edita posteriora, quae non uidi, ut Kritische Bemerkungen ueber Phaedrus (in Seebodii Kritische Bibliothek, 1822, p. 648-652).**

Iannelli. **Ed. Iannellii prima, 1809.**

Cassitto. **Edd. plagiarii Cassitti, 1808, etc. (non uidi; lectiones hausi plerumque ex Adry, Examen des nouvelles fables de Phèdre, 1812).**

Beck. **Vide ad *Burman.***

Quicherat. **Ed. Ludouici Quicherat, 1828.**

Zell. **Ed. Zellii, 1828. Non uidi.**

Orelli. **Orellius in ed. a. 1832 (fabb. 104-135 in supplem. eiusdem anni).**

Dressler. **Ed. Dressleri, 1838.**

Duebner. **Ed. Duebneri, 1847.**

Froehlich. **Froehlichii, mortui a. 1849, correctiones editae ab A. Spengel, Philologus XXXIII (1874), p. 722-727.**

Maehly. **Zeitschrift f. die oesterreich. Gymnasien, XXII (1871), p. 809-812.**

A. Spengel. **Andreas Spengel, Philologus XXXIII (1874).**

Kunkel. **Ed. a. 1874.**

Zorn. Blaetter fuer das Bayerische Gymnasial- und Real-Schulwesen XI (1875), p. 1-7.

L. Mueller. Ed. Luciani Mueller maior, 1877.

Nauck. Nauckii emendationes, Bulletin de l'Acad. impériale des sciences de Saint-Pétersbourg, XXVI (1880), p. 251-276. (Quae Nauck a. 1889 p. 322 addidit non uidi.)

Hartel. W. von Hartel in Wiener Studien VII (1885), p. 140-158.

Riese. Ed. a. 1885.

Draheim. Jahrbuecher f. Philol., 139 (1889).

Hartman. De Phaedri fabulis commentatio, 1890. Interpolatori tribuit Hartman promythia et epimythia et fere quidquid apud Perottum deest; quod in singulis locis non significaui; cf. ad 28,1-2.

Stowasser. Ed. a. 1893.

Hervieux, II[a]. Léopold Hervieux, *Les fabulistes latins*, t. II ed. alterae, 1894.

Ellis. The fables of Phaedrus, an inaug. lecture by Robinson Ellis (1895).

TEXTVS FONTES

Z : codex deperditus, in quo exitus libri I periit, pars libri II ante prologum transposita est; §§ 132 *ss.*

Y : codex deperditus, aetatis Carolinae, cuius folia lineas tricenas continebant, descriptus ex Z iam perturbato. Codicis Y folia partim perierunt, partim sunt loco mota; §§ 122 *ss.*

X : codex deperditus, aetatis Carolinae, cuius folia lineas tricenas quaternas continebant, descriptus ex Y iam perturbato. Codicis X folia 18um *et* 19um *inter se permutata sunt*; §§ 105 *ss.*

Codicis X apographum deperditum, aetatis Carolinae. In hoc abolita est distinctio uersuum; § 121.

P : codex olim Pithoei, nunc marchionis Lepeletier de Rosanbo, descriptus in parte saeculi noni priore ex apographo codicis *X*. Remensem esse origine (sicut *R*) censet Vlixes Robert p. XXIII-XXIV; cf. adnot. ad 100,23.

Notae sunt lectiones codicis *P* per librum Vlixis Robert, *Les fables de Phèdre, édition paléographique publiée d'après le manuscrit Rosanbo. Paris, Imprimerie Nationale, MDCCCXCIII.* (Hachette.)

R : codex sancti Remigii Remensis, descriptus ex eodem apographo codicis *X*. Periit a. 1774 in incendio combustus

Notae sunt lectiones codicis *R* per testimonia uaria :

*R*ⁿ : testimonia Nicolai Rigault in editionibus annorum 1617 et 1630.

*R*ᵍ : testim. Marquardi Gude, quae primus edidit Burman in ed. a. 1698.

*R*ʳ : testim. Dionysii Roche Iesuitae in schedis quas possidet Parisiensis *Bibliothèque de l'Université*, publicata ab Aemilio Chatelain, *Revue de philologie*, 1887, p. 81-88. V. p. xi, *Desbillons*.

*R*ᵛ : collatio est Iacobi Claudii Vincent Benedictini, Remigiani bibliothecarii (a. 1769), publicata in editione Iulii Berger de Xivrey a. 1830.

*R*ʷ : *R*ᵛ coniectura nostra correctum. Vbicumque de ordine uocum ternarum agitur, signa transponendi a Vincentio adhibita male intellexit Berger de Xivrey; fuisse in *R* ut in *P* 86,2 *repperire effugium alterius* et 94,5 *libenter tuum prorsus* testis est Gude (Berger autem *alterius repperire effugium* et *prorsus libenter*); fuisse in *R* ut in *P* 43,14 *ego illius porro* testes sunt et Gude et qui Vincentium sequebatur Brotier (Berger *illius porro ego*); itidem fuisse confido in *R* ut in *P* 9,3 *inpune abire deinde* (Berger *abire deinde impune*); 12,13 *tibi uidetur opera* (Berger *opera tibi uidetur*); 14ᵃ,13 *quantum ingenium ualet* (Berger *ualet quantum ingenium*); 15,8 *miscere anthidoto illius* (Berger *illius miscere antidoto*); 27,10 *collum frustra lamberet* (Berger *lamberet collum frustra*). Quibus in locis omnibus ideo errare potuit Berger, quia in editione Brocasiana (ρ) neque ordinem codicis *P* inueniebat, neque illum alterum ordinem, quem fuisse olim in *R* putauit. Cf. 22,2. — Errores leuiores ubi suspicabamur, eodem signo *R*ʷ usi sumus.

ρ : editio est ad usum puerorum facta quae prodiit a. 1743 Parisiis apud uiduam Brocas. Inscripserat Vincent collationem suam in exemplari eius editionis nunc deperdito; ego contuli exemplar Bibliothecae Nationalis *Y. c.* 11706, quod concordat cum *P* etiam in rebus orthographicis, ubicumque neque de ipso ρ neque de *R*ᵛ quicquam affertur.

---

r : correctiones codicis *R* uetustae, ex antiquo exemplari ut uidetur pleraeque (cf. ad 82,19).

Notae sunt correctiones *r* per testimonia Vincentii apud Berger de Xivrey.

D : scheda Petri Daniel, scripta saeculo IX-X, in qua plerumque ɴ pro *n*. Fuerat sancti Benedicti Floriacensis (f. 20ᵛ), post Daniel fuit Pauli et Alexandri Petau, denique reginae Christinae; nunc asseruatur Romae in bibl. Vaticana (Reg. 1616, olim Q. 23). Continet 12,2 — 14,12 et 18,1 — 22,10. In *D* (ut in *NV*) distincti sunt uersus.

Notae sunt lectiones schedae *D* per Lucianum Mueller, qui usus est collatione ab Ludouico Mendelssohn confecta, et per Leopoldum Hervieux. Paginarum 17ᵛ et 18ʳ photographiam mihi dedit Aemilius Chatelain.

Nicolaus Perottus, qui postea fuit episcopus Sipontinus (Manfredonia), *recepit fabulas Phaedri quotquot in codice nunc deperdito inueneral olim* (*p.* 277), *praetereaque fabulas Auiani, in syllogen suam Pyrrho fratris filio destinatam. Eam syllogen composuit ut uidetur inter annos* 1465 *et* 1470

(*utor disquisitione nondum edita Leonis Dorez* ; *obiit a.* 1480. *Verba Perottus hic et illic liberius immutauit* (p. 287), *omisit promythia et epimythia* (*u. p.* XI, Hartman), *pro iis* (*saepe ex iis*) *addidit titulos morales ; simili consilio omisit quidquid ad Phaedrum pertinebat, ut* 42,5-11. *Ipsae fabulae genuinae sunt, quamquam fuerunt qui aliter sentirent ; u. infra p.* 277. — *Hausit Perottus ex codice ut uidetur in Gallia sicut PR conscripto, sed recentiore quam PR* (*u. ad* 54,21). *Is codex descriptus erat aut ex Y nondum mutilato, aut ex codice uetustiore, ex quo Y defluxerit; u.* § 131. — *Perottinae sylloges codices sunt duo, distinctis uersibus :*

N : codex Neapolitanus madore corruptus, qui iam magnam partem legi nequit. Autographus est, quod perspexit Hervieux, inspecto scripturae genere confirmauit mihi Leo Dorez; sed fieri potuit ut corrigeretur diligentius exemplar Pyrrho destinatum ; itaque sibi uindicat fortasse auctoritatem aliquam alter codex, etiam ubi de lectione codicis autographi constat.

Notae sunt lectiones codicis *N* per haec testimonia :

N° : testim. Iacobi Philippi D'ORVILLE in praefatione ed. Burmanni a. 1727.

*N*¹ : testim. Cataldi IANNELLI in editione anno 1809 impressa; eam editionem commodauit mihi Hervieux. In *N*¹ significat (.) unam litteram, (..) duas litteras, (...) tres aut etiam plures, a Iannellio non lectas.

v : editio a. 1809 impressa. Quam laudare debui, ubi de ipso codice inueniebam esse minus aperte relatum.

V : codex Vaticanus (Vrbinas 368), scriptus ante a. 1517 (p. 286), destinatus iudice Leone Dorez duci Vrbinati.

Contulit Angelus MAI fabulas nouas et edidit a. 1831, *Classicorum auctorum* t. III p. 278 ss.; inde pauca hausi, Maii nomen disertim addens. Praeterea notae sunt lectiones codicis *V* per haec testimonia :

*V*ᵐ : collatio est Ludouici MENDELSSOHN in ed. Luciani Mueller a. 1877.

*V*ʳ : collatio est textus Maiani, DU RIEU, *Schedae Vaticanae*, p. 137-139.

*V*ʰ : apographum est quod sibi faciendum curauit HERVIEUX, mecum benignissime communicauit.

Paraphrastes Phaedri exstitit saeculo IV aut V (*ea enim tempora indicat quae fit in fabula* 90 *mentio* comitum, primiceriorum, campiductorum) *unus, qui ordinem fabularum nouum instituit* (*u. infra pp.* 271 *ss.*) *et* Rufo *nesciocui* (*Rom.* IV 23 = *Wiss. praef. et* V 10) *opus suum dedicauit, membrana scriptum, quod uix, puto, post saeculum quartum mentione dignum esset uisum. Is inseruit hic et illic uoces poeticas* (*u.*4,11 et 13,9). *De fonte communi paraphrastae et codicis Y u. ad fabb.* 90-91. *Ex paraphrasta interpolatus est D* 14,12.

Ex paraphrasi unica defluxit cum sylloge Ademari, tum altera sylloge, ex qua sua hauserunt anonymus Wissemburgensis et pseudo-Romulus :

I. *Adem.* : paraphrasis anonyma publicata a. 1709 ab Nilantio, seruata in codice qui nunc est Lugduni Batauorum Vossianus 15 8°. Is codex fuit Ademari Cabannensis, monachi sancti Martialis Lemouicensis, qui monasterio suo reliquit una cum ceteris libris suis cum a. 1030 proficisceretur in Terram Sanctam. Manu Ademari scripta est pars

codicis; autographa esse folia quae fabulas continent multi dixerunt; mihi negauit Leopoldus Delisle affirmari pro certo posse.

Edidit Leopoldus Hervieux, *Les fabulistes latins*, II² p. 131-156.

II. *Wiss.* : paraphr. anon. seruata in cod. Wissemburg., nunc Wolfenbuettel. Gudiano 148. Prologus fuit olim v 6, epilogus v 11 cum v 8 (cf. Rom. I pr., IV 22-23). Conscriptus est codex saec. X.

Edidit Hervieux, II² p. 157-192.

Rom. : pseudo-Romuli pseudo-Tyberino filio missae fabulae, quas se transtulisse impudenter dicit « de Graeco in Latinum ». Seruatus est Rom. in codd. compluribus inde ab saec. X confectis.

Rom. dixi eum textum quem edidit Hervieux, II² p. 195-233. Alios eiusdem sylloges textus praebet idem Leopoldi Hervieux tomus.

De codice Thomae Rawlinson (circa a. 1733), quem dicit Hearne continuisse Phaedri fabulas, u. Ellis p. 36.

Subicimus indicem fabularum quas imitatus est La Fontaine. Multa enim apud eius commentatores inuenire est, quae ad Phaedrum pertineant.

PHAED.	LA FONT.	PHAED.	LA FONT.	PHAED.	LA FONT.	PHAED.	LA FONT.
2	I 10	13	VI 9	40	I 4	74	IV 3
3	III 4	14	I 2	41	IV 21	75	I 14
4	IV 9	16	VI 8	49	XII 22	79	III 18
5	VI 17	20	II 7	50	VII 9	80	III 11
6	I 6	21	VIII 25	51	I 5	81	IV 13
7	VI 12	22	III 14	53	IV 17	82	II 20
8	IV 14	25	I 3	56	I 20	83	IV 6
9	III 9	27	I 18	57	I 21	84	II 1
10	V 17	31	II 4	62	II 17	85	V 16
11	II 3	35	I 17	69	VI 13	86	III 5
12	II 19	37	III 6	73	V 10	87	I 7

Litteris inclinatis significantur in Phaedri textu uoces et uocum partes ex coniectura additae uel immutatae ;

* asterisco uoces ex coniectura aut deletae aut transpositae.

TESTIMONIA DE PHAEDRO

De Phaedro anno 43 uel 44 SENECAE nondum noto u. § 135.

MARTIALIS III 20,1-9 (a. 87-88) ; u. § 163 :

Dic, Musa, quid agat Canius meus Rufus,
Vtrumne chartis tradit ille uicturis
Legenda temporum acta Claudianorum?
An quae Neroni falsus astruit scriptor
An aemulatur improbi iocos Phaedri?
Lasciuus elegis an seuerus herois
An in coturnis horridus Sophocleis?
An otiosus in schola poetarum
Lepore tinctos Attico sales narrat?...

De Martiali Phaedrum imitante u. ad 22,5 et 96,5; fab. 25, fab. 65.

QVINTILIANVS *Instit. orat.* I 9,2 : igitur *Aesopi fabellas*, quae fabulis nutricularum proxime succedunt, narrare sermone puro et nihil se supra modum extollente, deinde eandem gracilitatem stilo exigere condiscant; *uersus primo soluere*, mox mutatis uerbis interpretari; tum paraphrasi audacius uertere, qua et breuiare quaedam et exornare saluo modo *poetae* sensu permittitur; quod opus, etiam consummatis professoribus difficile, qui commode tractauerit, cuicumque discendo sufficiet.

AVIANVS ad Theodosium : ... Huius ergo materiae ducem nobis Aesopum noueris, qui responso Delphici Apollinis monitus ridicula orsus est ut legenda firmaret. Verum has pro exemplo fabulas et Socrates diuinis operibus indidit et poemati suo Flaccus aptauit, quod in se sub iocorum communium specie uitae argumenta contineant. Quas Graecis iambis Babrius repetens in duo uolumina coartauit; *Phaedrus etiam partem aliquam quinque in libellos resoluit.* De his e[r]go ad quadraginta et duas in unum redactas fabulas dedi... *Loqui* uero *arbores* [*cf. Phaedr.* 1,6], feras cum hominibus gemere, uerbis certare uolucres, animalia ridere facimus...

De PRVDENTIO Phaedrum imitante u. ad 83,10; 111,13; de auctore Queroli ad 6,11.

Epitaphium *C. Iulii*, cuius filius *C. Iulius Phaeder*, C.I.L. VI 20181 : u. ad 52,16; § 154. — Legitur 76,10 in titulo C.I.L. IX 3473. — De lapide ἐπιταφικῷ suspecto u. 61,12. Suspecta est inscriptio ...MANES PHAEDR... MEMORIAE..., C.I.L. III, SVPPLEM. I,7358 (Dramae in agro Philippensium).

De fabellarum fortasse Aesopiarum exordiis, uelut *Quidam cum peteret alas*, *Dum quidam*, *Quidam quom legeret*, *De nocte multa cu[m] surrexit...proficiscitur*, in titulis Pompeianis (C.I.L. IV 1538, 3067, 3136, 1654, 1902; falso affertur 3063), u. Buecheler, Anthol. Lat., Carm. epigraphica n° 43; cf. § 136. Sic *Cum...quidam* 67,1; *Quidam...cum* 94,1 (*cf.* 54,9; 58,1-2); ...*quondam...cum* 7,3.

[Ite] [Θ] [LIBER FABVLARVM]

[FEDRI AVGVSTI LIBERTI LIBER FABVLARVM]

[PHEDI AVG. LIBER .I. AESOPHIARVM INCIP. FELICITER]

PHAEDRI AVGVSTI LIBERTI

AESOPIARVM LIBRI V

1.

(tit. et 1,1-7 : cod. R imago, Hervieux, II^2 p. 83)

Aesopus auctor quam materiam repperit, I,PR.
Hanc ego poliui uersibus senariis.
Duplex libelli dos est, quod risum mouet
Et quod prudenti uitam consilio monet.
Calumniari siquis autem uoluerit,

In summa pagina Ite P^1 — *postea* Θ P^2

LIB' FABVLARVM P^2 : *om.* P^1 — FEDRI...LIB FABVL'RV *P*; FEDRI... LIBER FABVLARVM R^r (*cf. imag.*) « *alibi passim in uersibus legitur* Phoedri » — PHEDI...FELICITER *D* — AVG. LIBERTI (§§ 153, 157) *secl. L. Mueller p.* 99, *de qua re cf. Hartman p.* 11 *ss.* — PHAEDRI...LIBRI V *add. L. Havet* — AESOPHIARVM *D* (*cf.* 77,11) : FABVLARVM *PR*, *quod si in titulo posuisset Phaeder, aliter opinor u.* 7 *et* 84,22 *conformasset*; AESOPIARVM *uel simile quid legisse conicias in codice suo Perottum, qui in prologo* (*u. p.* 276) *scribit* « *Non sunt hi mei...uersiculi, Sed* Esopi *sunt et Auieni et Phedri* »; *sic Varronis nonnumquam sine substantiuo laudantur modo* Cynicae *modo* Menippeae; FABB. AESOPIARVM *Rittershausen*

1 (*non contulit Vincent*) — **1-2** *itidem R ut P* — **1** : § 148 — **2** Hanc *cum maiuscula P* Hancce *Pithou* — uersibus : *hos in P non distinctos restituit Pithou; de distinctione rarissime dubitari potest* (*ut fit* 2,5-6; 38,16-17; 100,17-18); *cf. ad* 44,9. *Chatelain ad* R^r 77,4-5 : « *Roche avait d'abord écrit sur la même ligne* tituli quo pacto damnabit; *ce qui prouve que les vers ne commençaient pas à la ligne dans R...* »; *cf. ap. Hervieux imagines* (*ad fabb.* 1, 17, 31), *et u.* 84,21; 91,6; 98,18 — **3** duplex libelli dos est quod risum mouet R^r — Duplex *maiusc. PR* — libellis *Rig.* 1599, *Gude, sed libri prologus est primi*; fabellis *Io. Fr. Gronov ad Lefebvre* — dos R^{R^r} *et cod. imago* : os P^1 mos P^2, *Pithou*, mens *docti ap. Freinsheim*, los (= laus) *Heinsius ad Ouid. Met.* XII 430 — **4-7** *itidem R ut P* — **4** prudenti *Bongars*, *Gebhard* II 6, *cf. L. Mueller p.* 100 : prudentis *PR* — fouet *N. Heinsius*[b]

V. pag. 15; § 148

Linea in X 8ª; *hic numeramus lineas* (*siue uersus siūe titulos*) *secundum codicis P textum*

Quod arbores loquantur, non tantum ferae, I,PR.
Fictis iocari nos meminerit fabulis.

TITVLI CODICVM P[*R*], *PARTIM MEDIO AEVO CONFECTI :*

2. *Halm, Fabb. Aesop.* 274. **[LVPVS ET AGNVS]**

Ad riuum eundem lupus et agnus uenerant I,1
Siti conpulsi; superior stabat lupus
Longeque inferior agnus. Tunc fauce improba
Latro incitatus iurgii causam intulit.
« Q*ur* » i*n*quit « turbulentam fecisti mihi
Aquam bibenti? » Laniger contra timens :
« Qui possum, quaeso, facere quod quer*er*is, lupe?
A te decurrit ad meos haustus liquor. »
X 1ª Repulsus ille ueritatis uiribus :
« Ante hos sex menses male » *ait « dixisti mihi. »

6 : Quod : Quod et *Bentley*; *u.* § 24 — arbores : adeo res *Stowasser*
De titulis fabularum in PR u. L. Mueller in libello De Phaedri et Auiani fabulis p. **26** : *eorum mentionem in ipso Phaedri textu restitui* 79,4; *omnes sustulit Rig.* 1617 — *in X uel P demum additus tit.* 81 — *additus tit.* 90 *in codice qui debuit esse uetustior quam Y, recentior quam paraphrastae codex* — *u. ad tit.* 21, 33, 54, 66

2 (*non contulit Vincent*) — *Adem.* III (*Hervieux*, II^2 *p.* 132), *anon. Wiss. I* I (*p.* 157), *Romulus I* II — *an primitus* LVPVS AD AGNVM *et in similibus similiter? cf. tit.* 14; *praepositio* ad *in titulis saepe redit eodem prope sensu quo* cum *Latine, et quo Gallice olim* « *od* » = apud — **3** longeque inferior agnus; tunc fauce improba R^r — Tunc *cum maiuscula P* — fauce R^{Br}, *Adem.*, *Rigault* 1617 : face *P* fame *Rittershausen* uoce *Schoppe* facie *de Groot* (*u.* 10) — improba PR^R — **4** Lucro *Schoppe* — iurgi... huic intulit *Cunningham* — **5** Qur *L. Havet* : Quur (*maiusc.*) *P* (*ut Rom. IV* XXIII); *cf.* 66,6 — inquit P^2? : imquit P^1 — fecisti mihi *Adem.*, *Rig.* 1617 *fort. ex R* : mihi fecisti *P*, § 51 — **6** Istam *initio* (*relicto* aquam *in u.* 5; *u.* § 51) *add. Pithou*, Age hanc *Heinsius*[b] (*qui* aquam *del.*), Obstans *Bentley*, Isthic *Cunningham*, Instans *Croll* — **7** possim *N. Heinsius*[b] — quereris *Pithou* : queris PR^s (quod quereris *om. Adem.*), querere *Burman* 1698, quaeris *Iac. Gronov* — **8** A *maiusc. P* : dum a *Adem.* quae a *Wiss. Rom.* Cum a (...decurrat) *Hare* — **9** Repulsus *maiusc. P* — **10** ante hos sex menses at maledixisti mihi R^r — male ait (§ 22) *Hugo Grotius annot. in libros euang.* (1641), *Luc.* III 14 *p.* 647; *Gude ap. Axen* : ait male PR^s, at male R^r, *Rigault* 1617 (ait *om. Adem.*, *Orelli*; — ajt *Langen Rh. Mus.* XIII, 1858, *p.* 201) — maledixisti ait *de Meurs* — maledixti (§ 104) *Scheffer* (ait at m- *Ouvering*) — Maledixisti mihi ante h- s- m- ait *Richter*, *specimen animadu. criticarum* (1713) *p.* 62

Respondit agnus : « Equidem natus non eram. » I,I
« Pater hercle tuus » *ille* inquit « male dixit mihi ; »
P 2 Atque ita correptum lacerat, iniusta nece.
Haec propter illos scripta est homines fabula
Linea 24a Qui fictis causis innocentes opprimunt.

2. *Halm* 76. **[RANE REGEM PETIERVNT]**

Athenae cum florerent aequis legibus, I,II
Procax libertas ciuitatem miscuit
Frenumque soluit pristinum licentia.
Hic conspiratis factionum partibus
Arcem tyrannus occupat Pisistratus.
Cum tristem seruitutem flerent Attici
(Non quia crudelis ille, sed quoniam grauis
Omnino insuetis), onus et coepissent queri,
Aesopus talem tum fabellam re*t*tulit.
X 2r Ranae uagantes liberis paludibus

11 Respondit *maiusc. P* : Respondet *Bentley* — ne quidem natus tum eram *N. Heinsius*^{b} — ego tunc natus nondum *Nauck* — **12** At pater *de Groot* (*u.* 10), *Hare* — hercule *Rigault* 1617 — tum tuus (§ 10) *Bentley* tunc tuus *Riese* — ille *add. Bothe* (§ 7) : ibi *Langen Rh. Mus.* XIII (1858) *p.* 201 — tuus inq- hercle *de Meurs* — *requiri* tum *uel* ergo *uel* igitur *ait Hartman p.* 107 — male *del. Scheffer* — **13** correptum : locutus *Nauck* — lacerat : mactat *Bentley*, *cf. L. Mueller p.* 100 — *post* lacerat *interpungit Scheffer* — lacerans iniuste necat *Hare* — **14** Haec *maiusc. P*

2 (*cf. Seru. ad Verg. G.* I 378) : *Adem.* XXI (*Hervieux*, *II*^{2} *p.* 138), *Wiss. III* VII (*p.* 175), *Romulus II* I — PETIERVNT : *cf.* LAVDAT 13 (*D*), CONTENDIT 18 (*D*), RESPONDET (?) 63; *sic restitui* MISERE 68; *an prius* PETIERE *ut u.* 11? — **1-11** *non contulit Vincent* — **1** *de sensu cf. Koenigsmann* « *Aequae leges quid? ap. Ph-...* », *Hamburgische vermischte Bibliothek* II *p.* 598-612 (1744) — **3** licentiā *recte Burman* 1727 : licentiā *Scheffer* licentiae *N. Heinsius*^{b} — **4** hic PR^{g} : Hinc *Pithou* — conspiratae factionis *Io. Fr. Gronov* — **6** Attici : *nusquam* Athenienses *Phaeder* — **7** grauis PR^{g} : graue *Pithou aliter interpungens*, graue est *Tollius*^{a}, grauest *L. Mueller* (graue illis pondus erat *Rom.*) — **8** omnino insuetis onus et coepissent queri R^{r} omnino insueti sonus est R^{g} — Omne insŭetis (§ 85) *N. Heinsius*^{b}, *Tollius*^{a} *collato Vrsin* — sonus P^{1}? (*puto* insueti sonus $P^{1}R$) — *post* onus *interpungi e re metrica nefas* (§ 15) — et $P^{1}R^{r}$, *Pithou* : est (*uel* est et?) R^{g}, ēēt (= esset) P^{2} — queri $P^{2}R^{r}$: quer P^{1}, *cf.* 76,33 (coepissent· q- *interpungit P*) — **9** rettulit (§ 84) : retulit P,R^{v}? (*de* R^{v} *cf. Brotier*)

Clamore magno regem petiere a*b* Ioue, I,11
Qui dissolutos mores u*i* compesceret.
Pater deorum risit atque illis dedit
Paruum tigillum, missum quod subito uadi*s*
Motu sonoque terruit pauidum genus.
Hoc mersum limo cum iaceret diutius,
P 3 Forte una tacite profert e stagno caput
Et explorato rege cunctas euocat.
Ill*ae* timore posito certatim adnatant
Lignumque super*a* turba petulans insilit.
Quod cum inquinassent omni contumelia,
Alium rogantes regem misere ad Iouem,
Inutilis quoniam esset qui fuerat datus.
Tum misit illis hydrum, qui dente aspero
Corripere coepit singulas. Frustra necem

11 petere P^1, petierunt (*cf. tit.*) *Rittershausen* — petierunt Iouem *Schoppe* a Ioue petiuerunt *Marcilius ad Horat. Epist.* I 3 (*non uidi*), petierunt regem a I- *Vrsin* — ab *Cunningham* (*cf. N. Heinsius ad Ouid. Fast.* I 236) *ut* 66,1 : a *P*, *Adem.* — **12** *post* 22 *transp. Rigault* 1599 (*non autem* 1617) — Sibi d- m- ut (*uel* qui) *N. Heinsius*[a] — ui *Pithou*, ρ : ut *P* (*u.* 36,5); earum *Adem.; de Atheniensium tyranno* qui inprobos mores aut conpesceret aut forte nimis inprobos puniret *Wiss.*, *cf. Rom.*; iis *Marcilius ibid.* — **14** immissum *Rittershausen* — uadis *Pithou* : uadi $PR^{Rg\,r}$ (leui motu *Adem.*; *Got. Richter, Specim. animadu. crit.*, 1713, *p.* 63) — **15** *itidem* R^r *ut P* — motu PR^r — Totum sonore *de Meurs* Motus sonore *Gebhard* III 10 Moti sonore *uel* Motu sonoro *N. Heinsius*[b] (*u. ed. a.* 1718) — **16** Consparsum *uel* Obsparsum *uel* Obsessum *N. Heinsius*[b] Hoc sparsum *Gruner* — iaceret *P*ρ : lateret *Heusinger* (*non uidi*), *ut* hoc *de* pauido genere (*cf.* 4,11) *intellegatur* (mersae...laterent *Adem.*, se diutius absconderunt *Wiss.*); *sed sensus est : quia tigillum se non mouebat* (ὡς ἀκίνητον ἦν τὸ ξύλον *uel* ὡς ἑώρων τὸ ξύλον ἀκίνητον *Graecae fabulae*), *una ausa est proferre caput; ex Adem.* Immersae...laterent *Bentley*, Hae mersae...laterent *Cunningham* — Mersae laterent cum limo diutius *Croll* — **16-17** limo *cum* stagno *mutat Prasch* — **17** tacite *P eadem manu*, ρ : tacete P^1 — ec *L. Mueller qui p.* 100 : « *uidetur semper hac forma usus esse sequente consona Phaedrus, excepto si sequeretur gutturalis; quamquam etiam legitur* [124,1] ec quadriga »; *ego ec- ante* f *in compositis legitimum puto, alibi barbarum* — **18** uocat *Wiss.* aduocat *Adem. Rom.* — **19** Illae *Pithou*, ρ : ille *P* — **20** Tignum *Gude*, *N. Heinsius*[b] — supera *L. Mueller p.* 100 (supra *Adem.*, *Pithou*, ρ) : super PR^g; *praeter Lucretium et Ciceronem cf. Vergil.* XI 510; § 83 — Lignum superque *uel* Super lignumque *Hartel*, Superque lignum *Riese* — **21** quum ρ — **22** rogantes (*id est* rogaturos *ut* 68,21, *cf. L. Mueller p.* 100) P^2ρ (*similiter Vergil. Aen.* II 114 « *Eurypylum* scitantem *oracula Phoebi* Mittimus ») : rogangantes P^1 rogatum *Bentley* (*cf.* oratum 68,2) — uenere *Cunningham* — **23** quoniam : quod iam *Zorn*, *cf. L. Mueller p.* 100, *nos ad* 43,37; quianam, quando *uel* quod *Heinsius*[b] — **24** ille misit *Nauck*

Fugitant inertes, uocem praecludit metus. I,II
X 2a Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iouem
Adflictis ut succurrat. Tunc contra deus:
« Quia noluistis uestrum ferre » inquit « bonum,
Linea 56a Malum perferte. » « Vos quoque, *o* ciues, » ait
« Hoc sustinete, maius ne ueniat, malum. »

4. *Halm* 200, 201. **[GRAGVLVS SVPERBVS ET PAVO]**

Ne gloriari libeat alienis bonis, I,III
Suoque *ut* potius habitu uitam degere,
Aesopus nobis hoc exemplum prodidit.
Tumens inani gragulus superbia
P 4 Pennas pauoni quae deciderant sustulit
Seque exornauit. Exi*n* contemnens suos
Inmisc*e*t se pauonum formoso gregi.
Illi inpudenti pennas eripiunt aui

26 fugitant *P*, *Adem.*, ρ : fugiant *R*[s] — inermes *Gude* — percludit *Cunningham* — uoce praeclusa metu *N. Heinsius*[b] — **28** afflictis ρ — Tunc *maiuscula littera P* — **29** inquid *P*[1] — **29-30** ferre...perferte : *cf. Senec. Thy.* 307 Leue est miserias ferre, perferre est graue — **30** o *ante* ciues *add. Rittershausen*, *habet* ρ (§ 35); *sic Graeco more* Infit : o ciues *Ennius*, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι *oratores*, ὦ ἄνδρες Σάμιοι *Aesopus apud Halm* 36 (*sed sine* o, *Latino more*, Quirites, patres conscripti) — **31** ueniat : eueniat *N. Heinsius ad Ouid. Her.* VII 24 *in add.*

4 : *Adem.* XXVI (*Hervieux, II*[2] *p.* 140), *anon. Wiss. II* IV (*p.* 167), *Romulus II* XVI — ET PAVO *om.* ρ — **2** que ut *L. Havet* (*cf. Kunkel, Zeitschrift fuer das Gymnasialwesen* XIII (1859) *p.* 892) : quin *Adem.*, *de Meurs*, que *P*ρ, *Wiss. Rom.* — **3** Nobis Aesopus *van Hoogstraten* — **4** gragulus *P*, *Adem.* : graculus *Pithou*, ρ, gracculus *Rigault* 1617; *cf.* grag- *Varr.* V 76 (*a* gregatim); *Charis.* 57,19; *Quintiliani A* I 6,37 (*a* κεκραγέναι?); *Saluian. Ep.* IV 13; *Plinii H. n. Riccard.* VIII 101 *et* XI 106; *etiam* GRAG- *cognomen Antistiorum*; grag- *confirmant ut uidetur formae Romanicae*, *Gallice* grolle, *Rumanice* graur; *ceterum de* C=G *u. ad* 100,7 — gragulus *uel* graculus *est « choucas »; admonendi sunt nostrates ne lexicis credant quae per « geai » uertunt* — **6** exin *Gruner* : exinde *Adem.* deinde *P*, *Wiss.*; inde *Burman*; *an* unde? — seque exinde ornauit *Adem.*; et se optime ornauit, deinde *Wiss.*; et se ornauit et coepit... *Rom.*; His sese exornat *uel* Seque his ornauit *N. Heinsius*[b] (*u. ed. a.* 1718); Seque inde ornauit *uel* Seque exornauit, inde *Burman* 1718 — **7** Inmiscet se *Marcilius ad Hor. Epist.* I 3 (*non uidi*) : inmiscuit se *P* immiscuit se *R*[v] (inm- *puto scripserat Vincent*), miscuit se *Adem. Rom.*, Immiscuit(*del.* se) *Rittershausen*, Se imm- *Bongars*, *N. Heinsius*[a], se miscuit *Wiss.* (*manu prima in marg.*), *Burman* 1727, *cf. L. Mueller p.* 101 — pauum *Schoppe*, *Bongars* — Form- imm- se pauonum *Guyet* Form- se pauonum imm- *Gude* — Gregi f- se p- imm- *Harc* — **8** Illi (*dat. sing.*)...aues *uir doctus ap. Freinsheim* — impudenti *P*, *Rom.* : imprudenti *Adem.* (*et sic incohauerat Wiss.*)

Fugantque rostris. Male mulcatus gragulus I,III
Redire m*a*erens coepit ad proprium genus;
A qu*is* repulsus tristem sustinuit notam.
X 3r Tum quidam ex illis quos prius despexerat :
« Contentus nostris si fuisses sedibus
Et quod natura dederat uoluisses pati,
Nec illam expertus esses contumeliam,
Linea 73a Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas. »

5. *Halm* 233. **[CANIS PER FLVVIVM CARNEM FERENS]**

Amittit merito proprium qui alienum adpetit. I,IV
Canis per flumen carnem *q*um ferret natans,
Lympharum in speculo uidit simulacrum suum,
Aliamque praedam ab alio *cane* ferri putans
Eripere uoluit; uerum decepta auiditas
Et quem tenebat ore dimisit cibum

9 Figunt *Marcilius ibid.* — male mulcatus « *allitteratio, sed in formula ut II* I 6 rettulit retro pedem; *nam alioqui rarissime ea utitur Ph.* » *L. Mueller p.* 101; *cf.* pretio precibus 100,18; *ceterum in hac re nimii ne simus uetat totus u.* 98,2 — mulcatus *PR*^{g}, *N. Heinsius*^{b} : multatus *Adem.*, *Pithou*, ρ — gragulus *P*, *Adem.*, grac- ρ — **10** merens *P* moerens ρ — **11** A (*uel* Abs, *cf.* 9,10) quis (§ 96) *L. Havet* : a quo *P*, Aeque *Polle*, *Philologus* 50 (1891) *p.* 650; *hoc sensu* A quo *Latine dici posse uix puto; cf.* 3,16, *ubi Phaeder non timuit ne* hoc *de* pauido genere *intellegeretur* — repulsae *Tollius ad Auson. p.* 337 (1671) — tristem *P*, *Wiss.* : luctificam iterum *Adem.* (*poetice, sed u. ad* 13,9; *sic pro* 17,6 *habent Wiss. Rom.* tu quatis ungula campum) — notam P^1, *Pithou*, ρ : noticiam P^2 — **13** sedibus *PR*^{g}ρ, *Adem. Wiss.* : uestibus *Nevelet* (tuas uestes amasses *Rom.*), coetibus *uel* dotibus (*cf.* 62,13) *N. Heinsius*^{b} — **14** potuisses *N. Heinsius*^{b} — **15** expertus P^2ρ : exper P^1 — *de caesura u.* § 13

5 : *Adem.* VII (*Hervieux*, II^2 *p.* 133), *anon. Wiss. I* VI (*p.* 160), *Romulus I* V — CANIS...FERENS *PR*^{v} — **1** appetit ρ — **2** Canis *maiusc.* *P* — cum *Scheffer* qum *L. Havet* : dum *P*ρ (Cum canis...ferret *Adem.* Canis cum flumen transiret *Wiss.*); *cf. Plaut. Bacch.* 304, *ubi* qum *B* qvm D^1 qm̄ *C*, *sed* dum D^3 — dum fert et *Scheffer** — **3** nympharum *Adem.* — **4** alio *PR*^{g}ρ, *Adem.* (*cod. Voss.* 19) : altero *Adem. cod. Lemou.* (*etiam* alteram *Adem.*), *Cunningham; cf.* 31,4; 69,5; 107,17; quis 25,8, *etc.*; *L. Mueller p.* 101; § 25 — cane *add. Bentley*, *Harc*, se *uel* ac se *N. Heinsius*^{b}, quo *Bothe* — perferri *Pithou* offerri *Gude* deferri *Philippe* ferrier *recentiores* — deputans *Marcilius ad Hor. Od.* IV 10 (*non uidi*) — **6** dimisit (*cf.* 103,6; 128,6) : demisit *Rittershausen*

Linea 81[a] Nec quem petebat adeo potuit tangere. I,IV

6. *Halm* 258. **[VACCA ET CAPELLA OVIS ET LEO]**

P 5 Numquam est fidelis cum potent*i* societas; I,V
Testatur haec fabella propositum meum.
Vacca et capella et patiens ouis iniuriae
X 3[a] Socii fuere cum leone in saltibus.
Hi cum cepissent ceruum uasti corporis,
Sic est locutus partibus factis leo :
« Ego primam tollo ; nominor quia *rex meast ;*
Secundam, quia sum *socius,* tribuetis mihi ;

7 *itidem R*[r] *ut P* — *de* e uado *cogitarat N. Heinsius*[b] — potuit *PR*[r]ρ, *Adem.* — non potuit uel extrema tangere dente *Adem.*, *unde* potuit dente attingere *Orelli*, *Grosse* (*Jahrb. fuer Philol.* 105, 1872, *p.* 783); adeo *ineptum iudice Hartman p.* 98; non adeo *mihi est « pas du tout »*, *itaque* 41,11 *restitui* nil adeo *« rien du tout »* — potuit adeo *Rigault* 1617 *p.* 69 p- ideo *Gruner* eo p- *Freinsheim* — tangere (*cf.* 80,3 *et* 110,9) *Adem.*, *Hare* : attingere *PR*[r]; 21,6 contingerent

6 : *Adem.* IX (*Hervieux, II*[2] *p.* 134), *anon. Wiss. I* VII (*p.* 160), *Romulus I* VI; *corrupit Phaeder fabulam Graecam, quia opinor cogitabat de societate aliqua Romana quattuor personarum* (§ 150) — VACCA ET CAPELLA *PR*[r] — *cf. titulum* 22 — **1** Nusquam *N. Heinsius*[b] — est f- cum potente *P*ρ, *Wiss.* (f- cum potente societas sit copulanda *Adem.*, *qui fortasse legerat* potente sit, *ut cogitare possis de* Numquam f- cum potentest) — potenti *Hare* (§ 44) — **2** Testetur *Heinsius*[b] — **4** *itidem R*[r] *ut P* — Sociati iere *N. Heinsius*[a] (*etiam* Sociatim *et* iuere *N. Heinsius*[b]) — **5** Hi *maiusc. P* (*quae uox ap. Phaedrum itidem comprehendit prius enumeratos* 52,4; 82,7) : Hic (*aduerb.*) *de Meurs*, Qui *uel* Ibi *N. Heinsius*[b] — quum ρ — cepissent *Adem.*, *Pithou*, ρ : coepissent *P* (*u.* 76,14) — **7** Ego *maiusc. P* — nominor quia rex (§ 52) meast *L. Havet* (βασιλεὺς γάρ εἰμι *Babr.*; ferarum regem 91,1) : nominor quia leo *P*ρ; quia n- leo *Adem.*, *Heumann* (1713; *non uidi*); ut leo *Wiss. Rom.* (*ortum* leo *ex* 6, *ut* paret 82,42 *ex* 41); nominor rex quia leo *Gude ap. Axen p.* 139; n- leo quia *Santen ad Ter. Maur. p.* 4; nomine hoc quia sum leo *Bentley*; partem quia dominor leo *Burman* 1718; dominor quia uobis leo *Stowasser; cf. L. Mueller p.* 101 — quod nominer *Leclerc ap. Burman* 1727 *in add.* — quoniam *Richter*, *Specimen animadu. crit.* (1713) *p.* 64, *quod quo pacto toleremus sequente bis, quod idem sibi uelit,* quia? *nam post* quoniam 9,2 *semel, nec eodem sensu,* quia *positum est* — leo : basileus *uel* Creon *Gude* — **8** socius (§ 52) *Withof* (*non uidi*) : fortis *P*ρ, *Adem.*, fortior uobis *Wiss.*[2] *Rom.*; *cf. Babrius* LXVII 5 : λήψομαι δὲ κἀκείνην, Ὡς ἐξ ἴσου κοινωνός, fortis *defendit Suster*, *Rivista di filologia* XIX (1891) *p.* 94 — Secundamque isum (= ἶσον) sortis *Stowasser in adnot.* — mea cum sors sit *Gomperz*, *Jahrbuecher* 135 (1887) *p.* 557; furti socio *Hartel*

Tum, quia plus ual*eo*, me sequetur tertia; I,v
Malo adficietur siquis quartam tetigerit. »
Linea 93ª Sic totam pr*a*edam sola improbitas abstulit.

7. *Halm* 77. **[RANE AD SOLEM]**

Vicini*s* furis celebres uidit nuptias I,vi
Aesopus et continuo narrare incipit:
Vxorem quondam Sol cum uellet ducere,
Clamorem ran*ae* sustulere ad sidera.
C*on*uic*i*o permotus quaerit Iu*p*piter
Causam qu*e*relae. Qu*a*edam tum stagni incola:
« Nunc » inquit « omnes unus exurit lacus
Cog*i*tque miseras arida sede emori.
X 4ʳ *Linea 103ª* Quidnam futurum est si crearit liberos? »

9 ualeo *P*, *Adem.* : cucurri *Wiss. Rom.* — **10** Malo [*P* (*maiusc.*), *R*ᵛ] adficietur : male patietur *Adem.*, Male adficietur ρ, *Zorn fortasse recte* (§ 32; *cf. Papinian. Dig.* xxxvii 12,5 « *diuus Traianus filium quem pater* male *contra pietatem* adficiebat *coegit emancipare* »), Malo adfligetur (*cf.* 12,10) *Gude*, Male accipietur *Bentley*, « *fortasse* » Male adfligetur *L. Mueller*, Mala patietur *Hammer*, *Blaetter fuer das bayer. Gymnasial- und Real-Schulwesen* xi (1875) *p.* 200; *cf.* uerberibus afficiebat 115,3 — **11** praedam ρ : predam *P* — solus improbiter *de Meurs*; *cf. Querol. p.* 29,5 *Peiper* omnesque fructus paucorum improbitas capit

7 : *Adem.* x (*Hervieux*, *II*[2] *p.* 134), *anon. Wiss. I* viii (*p.* 161), *Romulus I* vii — R- AD SOLEM *P*ρ — **1** Vicinis *L. Havet* : uicini *P*ρ — uicini furis : uiri *Adem.*; uicini qui erant illi, *sed pro* illi *man. alt.* furi, *Wiss.*; uicini qui erant fures *Rom.* — celebres uidit *P* : frequentare *Wiss.*[1], frequentabant *Adem. Rom. Wiss.*[2] — nuptias uidens *Cunningham* — **1-2** Vicini ut f-...Aesopus sic c- *Bentley* — **2** aesopus *P*ρ, *Wiss.*, sapiens *Adem. Rom.* : *an* Sophus adiens? (interuenit *Adem.* interueniens *Wiss.* cum interuenisset *Rom.*) — en *N. Heinsius*[b] sic *Bentley* — incipit *P*ρ : coepit *Wiss. Rom.* (*om. Adem.*); *an tempore praeterito* orsus est *Phaeder? sed cf.* 29,5; *itidem* narrat 115,5 —*et fortasse collato Hartman p.* 45 *putes intercidisse aliquid* — **3** sol cum uellet *P*[1], *R*ᵛ *teste Brotier* (*cf. Wiss.*), *Rigault* 1599 : solem uelle *P*[2], *Pithou* — quum ρ — **4** ranae ρ : rane *P* (omnis natio *Adem. Rom.*, *lacuna Wiss.*) — sidera : *cf.* astris 39,12 — **5** Conuitio *Pithou*, Conuicio *Rittersh.*, ρ (conuitiis *uel* -ciis *Adem. Wiss. Rom.*) : camuitio *P*[1] cumuitio *P eadem manu* (*cf.* 60,3) — iupiter *P*ρ; *cf.* 68,13 *et* 27; 61,6; 87,1; 101,4 — **6** querelae ρ : quaerere *P*[1] quaerelae *P*[2] — quaedam ρ : quedam *P* — incola : *superscriptum* habi *P*[2] — **8** cogit *Wiss.*, *Pithou* : coget *PR*ᵛ, *N. Heinsius*[b] — emori *PR*ᵍ : mori *Scheffer*, ρ — aridae sedi immori *Heinsius*[b] — **9** Quid iam *Nauck* — crearit *Pithou* : crearet *P*; crearet « *mais c'est un* e *pour un* i, *manière d'écrire très ancienne* » *R*ᵛ (*sic ad* 31,8-9 : « Profugeret paludes. *Puis on a mis* profugerit paludis; *mais on n'a pas compris que notre copiste met ordinairement des* e *pour des* i »); creauerit *Adem. Wiss. Rom.* — *fuerunt qui putarent* Solem *esse Seianum*, *Liuillae matrimonium cupientem*, Iouem *autem Tiberium*

8. *Halm* 17. **[VVLPIS AD PERSONAM TRAGICAM]**

P 6 Personam tragicam forte uulp*e*s uiderat : I,VII
« O quanta species » inquit « cerebrum non habet! »
Hoc illis dictum est quibus honorem et gloriam
Linea 108a Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

9. *Halm* 276. **[LVPVS ET GRVIS]**

Qui pretium meriti ab inprobis desiderat, I,VIII
Bis peccat, primum quoniam indignos adiuuat,
Inpune abire deinde quia iam non potest.
Os deuoratum fauce cum h*ae*reret lupi,
Magno dolore uictus coepit singulos
Inlicere pre*t*io ut illud extraherent malum.
Tandem persuasa est iure iurando gruis,
Gul*ae*que credens colli longitudinem
Periculosam fecit medicinam lupo.

8 : *anon. Wiss. III* VI (*Hervieux, II*[2] *p.* 175), *Romulus II* XV — VVLPIS *PR*[v] — AD P- TR- *P*ρ — **1** uulpes *Pithou*, ρ : uulpis *P* (§ 95), at uulpes *Bentley* — **2** inquit : inquit sed *Wiss.* ait et *Rom.* et *Scheffer* at *N. Heinsius*[b] — habet *P*, *Wiss. Rom.* : habes *Scheffer*[*], *Broekhuyzen ap. van Hoogstraten ad* 56,3; *sed Graece* οἷα κεφαλὴ ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει — **3** *fortasse* quis (§ 96)

9 : *Adem.* LXIV (*Hervieux, II*[2] *p.* 154), *anon. Wiss. I* IX (*p.* 161), *Romulus I* VIII — GRVIS *PR*[v] — **1** improbis ρ — **2** indignos *Adem.*, *Pithou* : dignos *PR*[v] — *Publilius* : Bis peccas cum peccanti obsequium commodas — **3** inpune abire; deinde *PR*[w] (abire deinde impune *R*[v], Impune deinde abire ρ); importune, deinde *Adem.* — quia iam : inanis *Gebhard* III 10 quianam *N. Heinsius*[b] — non : nunc *uel* tunc *Barth* XLVII 10, uix *Philippe* — abire non potest : postulat quod implere non possit *Adem.* — **4** deuoranti...lupo *Cunningham* — haereret ρ : hereret *P* — cui haerebat *Bentley in adn.* (*in textu* cum...lupo) — **5** Magno is *Cunningham* — **6** inlicere *PR*[v] — pretio ρ : precio *P* — *post uers.* 6 *lacunam statuit de Meurs* — **8** Gulae ρ : gule *P* — quae *Lefebvre* 1673 — longetudinem *R*[v], *cf. ad* 7,9 — **9** Periculose *Cunningham* — medicinam *P*, *Wiss. Rom.* : medicamen *Adem.*

I, VIII

Abs quo cum *p*actum flagitaret pr*a*emium :
X 4ª « Ingrata es » inquit « ore quae nostro caput
Linea 121ª Incol*u*me abstuleris : e*n* mercedem postulas ? »

10. **[PASSER AD LEPOREM CONSILIATOR]**

Sibi non cauere et aliis consilium dare I, IX
Stultum esse paucis ostend*e*mus uersibus.
Oppressum ab aquila, fletus *et* d*a*n*tem* graues,
P 7 Leporem obiurgabat passer : «Vbi pernicitas
Nota » inquit « illa est ? quid ita cessarunt pedes ? »
Dum loquitur, ipsum accipiter necopinum rapit
Questuque uano clamitantem interficit.
Lepus semianimus : « Mortis *e*n sola*cium*.
Qui modo securus nostra inridebas mala,
Linea 132ª Simili querela fata deploras tua. »

10 a *Adem.*, *Bentley* (*iam* « *critici quidam* » *ap. Richter*, *Specimen animadu. crit.*, 1713, *p.* 64), Abs (*uel* Aps) *L. Havet* : pro *P*ρ ; *cf.* abstuleris 12— qua *Philippe* — quum ρ — pactum *Adem.*, *Gude* : factu *P* factum R^g facto *Pithou*, ρ ; *u.* 100,4 — praemium ρ : premium *P* — **11** ore : ●ri *Adem.* (collo *Wiss.*), *Hartel* — quae *P*, *Wiss.*^{2} *Rom.* : quod *Adem.*; qui *Wiss.*^{1}; quum *Scheffer**; quae e *Bentley*, *cf. L. Mueller p.* 101 ; quum e *Harc* (quae cum ore e *Cunningham*) — **12** incolome PR^v incollome *Wiss.*^{1} — abstuleris *P* (*an ex* abs 10?) : extul- *Adem. Wiss. Rom. fortasse uere* — en *L. Havet* (*cf.* 34,8 ; 84,5) : et *P*, *Rom.*, et... insuper *Adem.*, et nunc *Wiss.* — postolas R^v (*cf.* 34,2 ; 54,34), postules *Rittershausen* (extuleris...postulare uideris *Adem.* extulisti...postulasti *Wiss.* extulit... postulat *Rom.*)

10 : *Adem.* LVII (*Hervieux*, *II*^{2} *p.* 152) — PASSER...CONSILIATOR PR^v — **1** consilium P^2ρ : conlium P^1 — **2** ostendemus *Tollius*° (*cf. L. Mueller p.* 101) : ostendamus *P*ρ his ostendam *Cunningham* — **3** fletus et dantem *L. Mueller* : et fletus dantem *Adem.* fletussedens P^1 fletus sedens P^2 fletus edentem *Pithou*, ρ, *cf. L. Mueller p.* 101, ac fl- ed- *Bentley*, fl- inridens *Stowasser* (*sed cf.* 9) — **4** uelocitas ρ — **4-5** pernicitas? nota inquit illa est · quid *P* — **5** inquit : tua est *Cunningham* — *post* **5** *habet Adem.* hoc uere te fecit insidiari et sustinere. Talibus dum loquitur... — **6** accipiter *P*, *Adem.*: acceptor *L. Mueller De Phaedri et Auiani fabulis p.* 24 (*cf. Adem.* XXXIX, *Wiss. III* IV) — **8** *itidem* R^r *ut P* — semianimus PR^v : semanimis *Bentley et* semanimus *L. Mueller* (§ 92) — en solatium *Sanadon* : in solatio PR^rρ, *ubi mendum notat Schoppe* (*cf.* initio *pro* -tium 10,7, beneficio 76,18), in solatium (*sequente lacuna*) *de Meurs*, cit *uel* init solatium *Gebhard* III 17, in solatiom *Lefebvre*, in solatia *Scheffer*, en solatia *N. Heinsius*^{ab} (-tio *ap. Scheffer errore typogr.*, *nisi forte uoluit* solatio -onis, *ut* consolatio), i solatia *id. ap. Burman* 1718 — **8-9** in solatio qui modo : solatium quod tu *Adem.* — **9** inridebas PR^v — **10** deplores *Barth ad Claudian. Stilich.* I 339 (1650), nunc ploras *Harc* ; *cf.* 124,9 (*et* 122,8 ; *etiam* 40,10)

11. **[LVPVS ET VVLPIS IVDICE SIMIO]**

Quicumque turpi fraude semel innotuit, I,x
Etiam si uerum dicit amittit fidem.
Hoc adtestatur breuis Aesopi fabula.
X 5^r Lupus arguebat uulpem *fu*rti crimine;
Negabat illa se esse culpae *noxi*am.
Tunc iudex inter *partis* sedit simius.
Vterque causam cum perorassent suam,
Dixisse fertur simius sententiam :
« Tu non uideris perdidisse *id* quod petis;
Linea 143^a Te credo subripuisse, quod pulchre negas. »

TITVLI PRIORES EX PR,
POSTERIORES EX D :

12. *Halm* 2:9. **[ASINVS ET LEO VENANTES]**
D 17^r [DE LEONE ET ASINO]

20 : § 150 — *Adem.* xii (*Hervieux*, II^2 *p.* 134), *anon. Wiss. I* xi (*p.* 162), *Romulus I* xi — ASINVS IRRIDENS APRVM R^v — *fabula in* ρ *in usum puerorum mutata* — **1, 3, 5, 10, 11** *itidem* ρ *ut P* — **1** captent *Riese* — **1-2** *interpungit P* leuem graui· destringunt — **2** distingunt ρ — **3** uolentes *L. Havet* : nociuum *P*ρ (*cf. titulum fabulae* 69), uicissim *Bentley*, nociturum *Burman* 1727, inopinum *Cunningham*, neciuum *L. Mueller De Ph. et Auiani fabulis p.* 25, non paruum *L. Mueller in ed.*, uociuis *Hartel; cogitaueram de* uociuum (= *superuacuum*, *inutile*) — concient *L. Havet* (*cf.* 95,11). concitant *P* congruunt *Wiss.* congerunt *Wiss.*^{2} *Rom.* (1-3 *om. Adem.*); *an* conciunt? — periculum *P* : malum *Rom.* mala *Wiss.* — **4** tulisset se *metri et sensus causa* (§ 46) *L. Havet* : fuisset *P*ρ, *Adem.* (occurrit *Wiss. Rom.*) — **5** frater : *cf. Martial.* x 65 (*et u. ad* 51,4) — indignum *Adem.* indignatus *Wiss. Rom.* — **6** quaerit ρ : querit *P* — *post* **6** dissimulansque agitauit caput *Adem.* compressit iram (*cf. u.* 10) et agitauit caput *Wiss.* tacuit dissimulans agitauitque caput *Rom.* — **7** demisso (demissis *Pithou*) *Rigault* 1617 : dimisso PR^w dimissa R^v emisso *Bothe* — pene P^1R^v, *Rigault* 1599 : pede P^2, *Adem.* (demissis pedibus *Pithou; cf. Plaut. Ps.* 841 *ss.*) — similem si (§ 56) PR^{gv} : si similem *Pithou*

Tibi me esse, certe simile est hoc rostro tuo. » I,xxix
Aper cum uellet facere generosum impetum,
Repressit iram, et : « Facilis uindicta est mihi,
Linea 369a Sed inquinari nolo ignauo sanguine. »

21. [RANE METVENTES TAVRORVM PRAELIA]

Humiles laborant ubi potentes dissident. I,xxx
Rana *e* palude pugnam taurorum intuens :
(R imag. : u. adnot.) « Heu quanta nobis instat pernicies ! » ait.
Interrogata ab alia cur hoc diceret,
X 13r De principatu cum illi certarent gregis
Longeque ab i*ps*is degerent uitam boues :
« *St*atio *esto* separata * ac diuersum genus :
Expuls*us* regno nemoris qui profugerit
Paludis in secreta ueniet latibula
Et proculcatas obteret duro pede.

8 simile certe *L. Mueller* — hic rostro tuo similis *Adem.*; *an* hic certe similis est? *an* similis hic? *sic Petron.* 24 « *mox manum etiam demisit in sinum et, pertrectato uasculo tam rudi*, Haec, *inquit*, *belle cras in promulside libidinis nostrae militabit* » — simile est hoc rostro tuo PR^v (est· hoc *interpungit P*)— **9** facere generosum impetum PR^v — **10** *itidem* $R^r\rho$ *ut P* ; « *uersus de*[*c*]*imi initium est* repressit *non* Hosii » R^r (*interrogatum erat de* Hosti 29,10) — en *Cuperus*, *Obseruation.* (1670) II 20

21 : § 146 — RANAE ρ — R- M- T- PR- *P*ρ — **2** e *Bentley* : in *P*; *cf.* longe 6, nemoris 8 ; *primum lectum est puto* ranae, *postea* rana, *denique* rana in — **3-5** (heu... certarent) : *imago codicis R apud Hervieux* II^a *p.* 83 — **3** nobis *om.* R^1— **4** alia : *cf.* 69,5 ; *u. ad* 5,4 — cúr *cum apice codicis R imago* — **5** quum ρ — illi certarent : decertarent *N. Heinsius*^{a} — gregis P^1 ρ, *Pithou* : greges P^2 — boues : *femininum* — **6** ipsis *Bothe** (*itidem posui* 68,3 ipsos ; *cf.* 54,41) : illis *P*ρ uluis *Desbillons* — **7** *itidem* R^v *ut P* — statio *Gude ap. Axen pro* ratio — Statio esto *L. Havet* : est ratio PR^v, Ratio est *Pithou*, *qui p.* 67 Est ratio *mauult*, Ratio esto *Wase* — Est separata ratio *Vrsin* (Est sep- statio *Quicherat*), Natio est *uir doctus ap. Rigault* 1599, Natio ait *Rigault* 1617 — separ *Schoppe* parata *N. Heinsius*^{b} (*qui* en d- g-) — separ ait ac *Wase* separ inquit (*del.* ac) *Ellis* — Esto inquit dispar uita ac *Bentley* — ac *Rittershausen* : inquit ac PR^v ait ac *Pithou* (ac *suspectum L. Muellero p.* 403 ; *non enim recurrit praeter in* simul ac) — diuersum : diuersum est *Rigault* 1617 — **8** expulsus *Pithou* : expulsos PR^v Sed pulsus *Rigault* 1617 — **8-9** profugerit paludis *Pr* : profugeret paludes R^v (*u. ad* 7,9)

I,xxx

Linea 381* Ita caput ad nostrum furor illorum pertinet. » 11

32. [MILVVM ET COLVMBE]

I,xxxi

Qui se committit homini tutandum inprobo,
P 19 Auxilium dum requirit exitium inuenit.
Columb*ae* s*ae*pe cum *ec*fugissent miluum
Et celeritate penn*ae* uitassent necem,
Consilium raptor uertit ad fallaciam
Et genus inerme tali decepit dolo :
« Quare sollicitum potius *ae*uum ducitis,
Quam regem me creatis icto foedere,
Qui uos ab omni tutas pr*ae*stem iniuri*a* ? »
X 12* Illae credentes trad*u*nt sese miluo ;
Qui regnum adeptus coepit uesci singulas
Et exercere imperium s*ae*uis unguibus.
Linea 395* Tunc de reliquis una : « Merito plectimur,

11 ita caput *P*, *Gude ap. Axen* : Caput ita *Pithou*, *procelcusmaticum* (§ 66) *non agnoscens*, ρ (*sed de Vincentio u. ad fab.* 32)

32 : *Adem.* XXII (*Hervieux*, *II*[2] *p.* 139), *anon. Wiss. III* VIII (*p.* 176), *Romulus II* II — *fabulam uidetur non contulisse Vincent* — MILVIVS ET COLVMBAE ρ — **1** improbo ρ — **2** auxilium *Adem. Wiss. Rom.*, *Bentley* : auxilia *P*ρ, *L. Mueller p.* 103 — **3** Columbae saepe ρ : columbe sepe *P* (sepe *P cum Wiss. Rom.* : semper *Adem.*) — quum ρ — effugissent *Bentley* ecfugissent *L. Havet* (*cf.* 13,4 *et* 41,2) : fugissent *P* fugerent *Adem. Wiss. Rom.* — miluum (§ 85) *PR*[s], *Lefebvre*, *Gude* : miluium *et sic ubique Pithou*, ρ — **4** pennae ρ : penne *P* pinnae *L. Mueller* (*cf.* 14,6) — mutassent *Adem.* euitassent *N. Heinsius*[b] — **6** incertum *Adem.* inermum *Hare* — **7** aeuum ρ : euum *P* — **8** creastis ρ — me creatis icto regem *Burman* 1727 — iuncto *P*[2] isto ρ — **9** praestem ρ : prestem *P* — iniuria *P corr.*, ρ, *Pithou* : iniurias *P*[1]*R*[s] (omnibus...iniuriis *Adem.*) — **10** tradunt *Adem.*, *Pithou*, ρ : tradent *PR*[s] (*cf. cre-dent-es*) — **11** uesci singulas *P*[1], *Adem.*, *Rigault* (singulis *P corr.*, *Pithou*, ρ) — **12** saeuis ρ : seuis *P* — **13** reliquis *PR*[s]ρ (= reliqŭis, § 85 ; *cf.* q *ante* u *uocalem in* qum, loqutus) : reliqüis *recte Pithou p.* 67 relicuis *Saumaise* relictis *Nevelet* — De reliquis tunc *Rigault* 1617 De r- t- ait ρ

I,xxxi

Huic spiritum praedoni quae commisimus. » 14

[*Desiderantur aliquot libri II fabulae.*]

14 *add. L. Havet obseruans post* δίκαια πέπονθα *non abrumpi sermonem in Halmii fabulis Aesopicis* 127, 177b, 186, 192, 223, 254, 283, 334b, 362, 373, *neque magis post* δίκαια πάσχω 97, 334, ταῦτα ἐμοὶ καλῶς γίνεται 134, δίκαια πέπονθας 250, *aut in fabula Latina* (*Adem.* XLIV, *Wiss. IV* X, *Rom. III* XIV) *post* digne et iuste (*uel* bene) patimur, *aut in altera* (*Wiss. III* II, *Rom. III* II) *post* digne haec passus sum; *neque apud ipsum Ph.* 28,9 *post* merito iaces; *cf. Cic. Off.* II 28 iure igitur (*non* iure *nude*) plectimur, *Suet. Vesp.* 12 merito se plecti qui...; *Ouid. Met.* VI 687 merito, quid enim...; *atqui in hac fabula* 32 *habet Adem.* qui nostrum spiritum tali credidimus inimico, *Wiss.* qui nos predoni (*cf.* 72,16) commisimus, *Rom.* quae nos tali commisimus — *cf.* spiritum commiseris 41,7 — *ex Ademaro iam addiderat Riese* Quae nostram uitam tali credidimus duci

[† PHEDRI AVG. LIBERTI

Linea 396ª

LIB. SECVNDVS INCIPIT LIBER TERTIVS FELICITER]

libri titulus mendosus, ex titulis singularum paginarum praecedentium ductus, ab rubricatore codicis X (uel apographi) additus (ut libri IV titulus, p. 71), in computandis lineis codicis X (et, puto, codicis Y) non annumerandus; u. §§ 114, 139 — PHAEDRI AVG. LIB. SECVNDVS INCIPIT R^{g} PHAEDRI AVGVSTI LIBERTI LIBER SECVNDVS R^{v} — *uoluerat auctor tituli* : LIB. SECVNDVS EXPLICIT, *tum* INCIPIT L- T- F-

33 : § 149 — AVCTOR PR^{v} (*cf.* 59,19) : *an primitus* AVTOR *ut* 42? *pro quo* PHAEDRVS 44 71 81, POETA 54 75 76 77 79 82 96 97 — *uersuum ordinem statuit*

Y fol. α (§ 129) **33-34.** **[AVCTOR]**

Exemplis continetur *A*esopi genus, II, PR.
Nec aliud quicquam per fabellas qu*a*eritur
Quam corrigatur error ut mortalium
Acuatque sese diligens industria.
Quicumque fuerit ergo narran*tis i*ocus,
Dum capiat aurem et seruet propositum suum,
Re commendat*or*, non auctoris nomine.
P 20 *E*quidem omni cura morem seruabo senis;
Sed si libuerit aliquid interpone*re*,
Dictorum sensus ut delectet uarietas,
Bonas in partes lector accipias uelim,
Ita, s*i* rependet, †Illi, breuitas gratiam.
X 13r Cuiius uerbosa ne sit commendatio,
Attende cur negare cupidis debeas,

de Meurs : 1,7,2-5,8-10,6,11... — **1** esopi *P* Aesopi ρ : humanum *Bentley* hoc scripti *Tollius*[a] apologi *Haupt*, *Opusc.* III *p.* 365 (Aes- stilus *Philippe*, Aes- penus *L. Mueller olim*); *in* Aesopi genus *ut haeserint docti uide ap. Burman* 1727, *qui Heinsii* Aesopi id *laudat et* Aesopi hoc *proponit; utique nominandus est* Aesopus *ante u.* 8; *cf.* genere 77,13 *et u. Hartman p.* 23 — Exempla Aesopi continent hominum genus *Cunningham* — *post* **1** *deperditum uersum* Humanum... *statuit Hare* — **2** aliud q- per fabellas *P*ρ per fab- al- q- *L. Mueller* (§ 66; *potuisset et* q- p- f- al-) — quidquam ρ — quaeritur *Pithou*, ρ : queritur *P* — **5** Quodcunque *N. Heinsius*[b] — narrantis *Graeuius ad Cic. Fam.* XVI 21 (1676), *Io. Fr. Gronov*[f] : narrandi *P*ρ, narranti *Gude*, *Freinsheim*, narrandus *Guyet*, narratus *Hartman p.* 25 — iocus *Rittershausen* : locus *P*ρ, *R*[s] *ut uid.*, genus *Sanadon* (*qui* Quodcumque) — narrandus logus *Guyet* (*Aesopeos* logos *Seneca* : *u.* § 135), narrator ioci *Hartman p.* 24 — **7** commendator *L. Havet* (*post* fuerit *requiritur futurum*) : commendatur *P* commendetur *N. Heinsius*[b] — **8** Equidem ρ : aequidem *P* — morē *P* morem ρ : more *R*[s] — **9-10** : *hos uersus respexit fortasse Perottus in prologo* (*p.* 277) — **9** si libuerit (§ 97) *P*ρ : siluerit *R*[s] ubi lib- *N. Heinsius*[b] si fuerit *Iac. Gronov* — interponere *Pithou*, ρ : interpone *P*, *cf.* scele 84,13 — **10** *iungit Pithou* aliquid Dictorum (*ubi* Factorum *uel* Actorum *Burman* 1727), *non* Dict- uarietas — Dictorum : Diuersum *Bentley* Doctorum *Hartman p.* 26; *de genetiuo ambiguo cf.* 68,28; 84,15 — **11** accipiat *Bentley* — **12** *itidem R*[s] *ut P* (*nisi quod ap. Burman impressum est* rependit *ut utriusque lectio*) — ita *PR*[v] — si *Barth*, *Ablegm. crit.* II 23 (1612) — si rependet Illi *L. Havet* (*possis* Tilli, Cilli, Iuli...; *in hoc prologo adpellari nomine hominem aliquem necesse est propter* accipias 11, attende 14, tuas 43,1 [*u. Hare*] te *et* reddas 43,38-39) : sic rependet illi *PR*[v], *quod asterisco notat Pithou*, si...illam *N. Heinsius*[b], si...ipsa *Burman* 1727 — Sic ista tibi rependet *Rigault* 1617 (*ubi* istam *Perizonius ap. Burman* 1698), Vitae *uel* Rei *uel* Ita sis *uel maxime* Studio rependet illi *Gude*, Paci r- *Iac. Gronov* Meritam r- *Hare* Ita haec rependet illam *Cunningham* Saltem r- ipsa *Sanadon* Sic ea r- illi *Desbillons* Ita hanc r- *Crelli* Sic ut r- *Hartel*; *cogitaueram de* si stili rep- breuitas, *sed nude alibi* breuitas *dicitur* — rependit *Bentley* — **13** cuiius *R*[s], *Barth*, *Ablegm. crit.* II 23 (1612) : cuius *P*ρ Cui *de Meurs* — ne sit *r*, *Rigault* 1617 : nescit (*u.* 72,8) *PR*[v], nec sit *Desbillons* — commentatio *Rittershausen* — *post* 33,13 *ponit Pithou fabulae* 34 *titulum*

[IVVENCVS

Lineae 412a,413a Modestis etiam offerre quod non petierint. **LEO ET**
Super iuuencum stabat deiectum leo. **PRAEDATOR]** II,1
Pr*a*edator interuenit partem postulans.
« Darem » inquit « nisi soleres per te sumere »;
Et improbum reiecit. Forte innoxius
Viator est deductus in eundem locum
Feroque uiso rettulit retro pedem.
Cui placidus ille : « Non est qu*o*d timeas » ait ;
« E*n*, quae debetur pars tuae modestiae
Au*d*acter tolle ». Tunc diuiso tergore
Siluas petiuit homini ut accessum daret.
Exemplum egregium prorsus et laudabile ;
Linea 425a Verum est auiditas diues et pauper pudor.

35. *Halm* 56. **[ANVS DILIGENS IVVENEM ITEM PVELLA]**

X 13a *P* 21 A feminis utcumque e*st* spoliari uiros, II,11

34 : *linea tituli annumeranda est in X, non in Y : cf. tit. fab.* 79 (§§ 127, 129) — IVVENCVS...PRAEDATOR PR^v — **1** iuuencum ut st- *Bentley* i- dum stat *Cunningham* — **2** Praedator ρ : predator *P* — postulans P^2ρ : postolans P^1 (*u.* 9,12) — Praedo int- post- partem lupus *N. Heinsius*[b] — *cf. Plaut. Most. arg.* 5-6 interuenit Lucripeta fenus fenerator postulans ; *u. Opitz, Leipziger Studien* VI p. 279 — **5** delatus *Nauck* — eumdem ρ — **6** rettulit P^1ρ : retulit P^2 — *cf. Senec. Tro.* 1154 non tulit retro gradum — **7** quod *Pithou* (*cf.* 115,9 ; 118,28) : quid PR^v — **8** En *de Meurs* (*u.* 9,12) : et *P*ρ Est *Guyet* At *Scheffer* Quin *Cunningham* Sed *Riese* — **9** Audacter ρ : auedacter *P* — diuiso· tergore *interpungit P* — corpore *Guyet* — **10** siluas PR^v — homini ut (*non* ut homini) : §§ 21, 26 — **12** est...et : hodie...est *Bentley* — et : ut *N. Heinsius*[b]

35 ANVS...PVELLA PR^v — IVVENEM *contra Phaedri mentem, ut notat Freinsheim* — **1-2** *ut in edit. Danetí* R^v (*Danet autem ut P, nisi quod scribit* foeminis *et* utcunque), *sed* a feminis utcunque exspoliari uiros ament R^r — **1** utrinque *Rittershausen* — est spoliari *L. Havet* : exspoliari R^r (*u. Chatelain* ; § 9 ; *cf.* 95,26) ; « MSS. *hic habent* expoliare » *Gude* ; spoliari *P*, *Danet*

II,II

r fol. β Ament amentur, nempe . . . .
. . . . exemplis discimus.
Aetatis medi*ae* que*n*dam mulier non rudis
Te*n*ebat annos celans eligantia,
Anim*o*sque eiusdem pulchra iuuenis c*e*perat.
Amb*ae* uideri dum uolunt illi pares,
Capillos homini legere coepere inuicem.
Qui se putaret *f*ingi cura mulierum,
Caluus repente factus est ; nam funditus
Linea 436ᵃ Canos puella, nigros anus euellerat.

36. *Halm* 221. **[ESOPVS AD QVE*N*DAM DE SVCCESSV INPROBORVM]**

L rubra P (§ 117) Laceratus quidam morsu uehementis canis II,III
Tinctum cruore panem *misit malefico,
Audierat esse quod remedium uulneris.
Tunc sic Aesopus : « Noli coram pluribus
Hoc facere canibus, ne nos uiuos deuorent

1-2 uiros ament· amentur *interpungit P* — **2** *in duos uersus soluit L. Havet, ut uoci* nempe (*quam corruptam putat Riese*) *tribui posset aliquo modo sensus, quoque melius dispiceretur utrum de uiris an de feminis* ament amentur *dictum esset, amissa sic fere restituens* : Ament amentur, nempe [amatos ualidius, Cottidianae uitae] exemplis discimus — exemplis *P* : exemplo hoc *Bentley* exemplo *L. Mueller* — **3** mediae ρ : medie *P* — quendam *Gude, Prasch* : quēdam R^g quaedam R^v quedam *P* (*cf. tit.* 36, quodam 25,2), quaedam *Pithou* cuidam *Rigault* 1599 — rodis R^{gv} — **4** Tenebat *Gude, Prasch* : tegebat *P*ρ (*cf.* dolose *pro* dolone 50,3, inposuit *pro* insonuit 100,26), Degebat *Cuperus, Obseruation.* II 20 (1670), Regebat *Scheffer* * — canos *Scheffer* — eligantia PR^v — *post hunc uersum lacunam notat Pithou* — **5** Animos *Pithou*, ρ : animus *P* Animum *Scheffer* — ceperat *Pithou*, ρ : coeperat *P* (*cf.* coepere 7 *et u.* 76,14) — **6** ambae ρ : ambe *P* — **8** *itidem* R^r *ut P* ; « *principium est* qui se *non* quum se » — qui PR^{rv} : Quum *Rigault* 1617 — Qui se : Qui quum *Tollius** — putarat *Eyssenhardt* — fingi *Schoppe* : pingi *P*ρ, *u.* 100,4

36 : AESOPVS AD...INPROBORVM PR^v — DE...INPROBORVM : *u. ad tit.* 54 — QVENDAM *Pithou* : QVEDAM *P* (*u.* 35,3), QVEMDAM R^v — **1** uehementis *P*ρ (= *de-mentis, rabiosi*), *cf. Hor. Epist.* II 2,28 : uehementi *Bongars, idem trisyll. Rittershausen*, uementi *L. Mueller* — **2** misit *Io. Fr. Gronov, Gude* (*cf.* 24,3 *et* 46,6) : inmisit *P*,R^v *ap. Brotier, Ellis*, imm- ρ, posuit *Riese in praef.* — malfico *L. Mueller* (§ 79) — **5** uiuos *P*ρ : ut uos R^g (*cf.* 3,12 ; ei *reposuimus pro* et 51,10 ; 100,3 ; *contra reperitur* i *pro* t *in* alia 57,1 ; poriant 72,25 ; *etiam u.* diui 61,2 ; iudicio 68,30 ; iam 95,25), cunctos *Riese in praef.*

Cum scierint esse tale culpae praemium. » II,III
X 14^{r} *Linea* 144^{v} Successus inproborum plures allic*it*. 7

37. **[AQVILA FELES ET APER]**

Aquila in sublimi quercu nidum fecerat, II,IV
Feles cauernam nancta in media pepererat,
Sus nemoris cultrix fetum ad imam posuerat,
P 22 *C*um fortuitum feles contubernium
Fraude et scelesta sic euertit malitia.
Ad nidum scandit uolucris. « Pernicies » ait
« Tibi paratur, forsan et miser*ae* mihi ;
Nam fodere terram quod uides cotidie
Aprum insidiosum, quercum uult euertere,
Vt nostram in plano facile progeniem opprimat. »
Terrore *o*ffuso et perturbatis sensibus
D*e*r*e*pit ad cubile setosae suis.

6 Quum ρ — tale scierint esse *Bentley* — p̄miū *P* — **7** inproborum *PR*^{v} — allicit *Pithou* : allicet *PR*^{sv}

37 FELES *PR*^{v} — **1** suprema *Bentley* superna *Cunningham* — **2** feles *animal ferum* (*cf. fab.* 121), *a* catto *medii aeui distinguendum* — feles cauernam *PR*^{v} — nancta *PR*^{sv} — **3-4** *itidem R*^{r} *ut P* — **3** nemoris cultrix *PR*^{r}ρ : nemoricultrix *Rittershausen*, *Bongars*; *cf. L. Mueller p.* 103, *Causeret p.* 22 — cultrix· fetum *interpungit P* — foetum ρ — **4** Cum *L. Havet* (*cf.* 75,22) : tum *PR*^{r}ρ Tam *Pithou* — fortuitum (§ 85) : fortunatum *Lefebvre* — feles *PR*^{rv} — conturbernium ρ — **5** scelesta· sic *interpungit P* — auertit *Philippe; cf.* euertere 9 — **6** escendit *N. Heinsius*^{b} — uolucris sc- nidum et *Cunningham* — **7** miserae *Pithou*, ρ : misere *P* — forsit et paratur mihi *Cunningham* — **8** quem *Philippe* — cotidie *PR*^{v} — **9** insidiosus *Bentley*, *quod uetat lex interpungendi*, § 14; *inde alii* Aper insidiosus — **11** offuso *Rittershausen* : effuso *P*ρ huic offuso *Cunningham* — et *del. N. Heinsius*^{b} — huic et turbatis *Hare* — **12** Derepit *Coler ap. Rittershausen* : diripit *PR*^{sv} Direpit *Pithou*

V fol. γ « Magno » inquit « in peric*l*o sunt nati tui ; II,IV
Nam simul exieris pastum cum tenero grege,
Aquila est parata rapere porcellos tibi. »
X 14a Hunc quoque timore postquam compleuit locum,
Dolosa tuto condidit sese cauo.
Inde euagata noctu suspenso pede,
Vbi esca sese *pa*uit et prolem suam,
Pauorem simulans prospicit toto die.
Ruinam metuens aquila ramis desidet ;
Aper rapinam uitans non prodit foras.
Quid multa ? inedia sunt consumti cum suis
Fel*i*que *et* catulis largam pr*a*ebuerunt dapem.
P 23 Quantum homo bilinguis s*a*epe concinnet mali,
Linea 471a Documentum *hinc* *k*a*p*ere stulta credulitas potest.

•

28. **[*TIB.* CAESAR AD ATRIENSEM]**

13 inquit et ait *Cunningham* — periclo (§ 90) *Rittershausen* : periculo *P*ρ — **16** timore *P*ρ : tumore *P*[1] *ut uid.* — **17** tuto *r*, *Rigault* 1617 : toto *PR*[s v] (*ut* 20; *cf.* 39,16), *Hare ;* noto *N. Heinsius*[a], *sic in fab. de muribus* urbanus nota facile se abscondit cauerna *Adem.* XIII, mus urbanus notis cauernis cito (*uel* citius) se abscondit *Wiss. II* I *et Rom. I* XII ; *aliter* 119,21 — sese condidit *Vrsin* — **18** suspenso *P*[2]ρ : suspensa *uel* suspensu *P*[1] (*cf.* 41,19 magna) — **19** Vt *Cunningham* — sese *PR*[v] : se *Pithou* — pauit *L. Havet* : repleuit *P*ρ ; *neque placet* ubi repleuit *post* postquam compleuit, *neque iure* se *pro* sese *reponas* (*nisi fortasse hic oriri potuit* sese *ex* se re- ; *cf.* 18,3) ; *ipsum quoque* repleuit *suspectum est, nam* repletis *quid opus* larga dape ? — **21** Ruinae *N. Heinsius*[b] — **21-22** desidet· aper· rapinam *interpungit P* — **23** Inedia *maiusc. P* — sunt : sic *Bentley*, *om.* ρ — consumpti ρ — cons- sunt inedia *Cunningham* — **24** Felique et *Hare*, *Cunningham* : felisque *P*ρ, « *à la chatte et à ses petits chats* » *uersio Isaaci Lemaître de Saci*, Feli atque *Bentley ; prius puto fuit* felique, *omisso* et — praebuerunt ρ : prebuerunt *P* — **25** saepe ρ : sepe *P* — concinnet *PR*[v] : continet ρ — **26** hinc *hic add. L. Havet*, *post* habere *add. Bentley*, hoc *N. Heinsius*[b] (*qui etiam* id *proponit*) — capere *Cunningham* kapere *L. Havet* : habere *P* ; *cf.* 70,8 ; *Plaut. Amph.* 267 ; *etiam puto paraphrastes habuit* kapere 93,2 ; *Cic. Phil.* XI 5 « ex quo *nimirum* documentum *nos* capere *fortuna uoluit quid esset uictis extimescendum* » — stulta *P*[1]ρ, *Pithou*, stulte *P*[2] ; *cf.* 54,6

28 TIBERIVS *Riese* : ITEM *PR*[v] (ITĒ *pro* TIB), *Rigault* 1599 (« *forte praecesserat aliquid de Caesare* » *Rigault*) ; *del. Pithou ; dissimile est* ITEM 35, IDEM 65 76 97 — **1** Ἀρδἄλίων : *ut uid.*, *comoediae persona* (*Bréal*, *Revue de philologie* 1885 *p.* 137) *ut* Euclio, Ballio, Curculio. Trachălio, Ἀγκὔλίων, Βοτρυλίων,

Est Ardalionum quaedam Romae natio, II,v
Trepide concursans, occupata *in* otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi molesta et aliis odiosissima.
Hanc emendare, si tamen possum, uolo
X 15ʳ Vera fabella ; pretium est oper*ae* attendere.
Caesar Tiberius cum petens Neapolim
I*n* Mis*e*nensem uillam uenisset suam,
Quae monte summo posita* Luc*ul*li manu
Prospectat Siculum et *de*spicit Tuscum mare,
Ex alticinctis unus atriensibus,
Cui tunica ab umeris linteo Pelusio
Erat destricta, cirris dependentibus,
Perambulante laeta domino uiridia*,
Alueolo coepit ligneo conspargere

Καμπυλίων, Cordălio, Simălio, Turbălio, Βουταλίων, Δευκαλίων, *uel persona mimi; ab* ἄρδα « μολυσμός », ἄρδαλος « μόλυσμα »; *cf.* Βαμβαλίων, πνιγαλίων — ardalionum PR^v, *Saumaise* : ardelionum *Pithou; cf. Martial.* II 7,8 *et* IV 78,10; Ardalion *nomen iuuenis impudentis, Hist. Apollonii regis Tyrii* 21 (*ibid.* 39 *interpol.*); *de* ardal- ardel- ardul- *u. Fisch, Archiv fuer lat. Lexikogr.* V (1888) *p.* 61; *Georges, ib. p.* 486 — **2** in otio (§ 41) *Pithou* : notio PR^v — **3** multum *Hare* — nil *Langen Rhein. Mus.* XIII (1858) *p.* 201 — *eodem fere tempore Seneca, De tranq. animi* XII 2 : semper aliquid agentibus similes (*cf. ibid.* concursatio) — **4** sibi (§ 64) *P*ρ : Et sibi *Hare, Cunningham* Ac sibi *Tollius*ᵃ — **6** Vera hac *Cunningham* — operae *Pithou*, ρ : opere *P* — **7** Caesar Tiberius : §§ 134, 137 — **8** In Misenensem *Pithou*, ρ : immisiniensem PR^w (misinensem R^v miseniensem *PR teste Gude*), In Misenensi ad *N. Heinsius*ᵇ — **9** posita *Pithou*, ρ : posita est *P* (*cf.* 114,11); *Phaedri subest error, si recte Plutarchus, Mar.* 34, *Plinius, H. n.* XVIII 32 — Luculli *Pithou* (*cf. Tacit. A.* VI 34) : Lucili P^1 (*maiusc.*), R^{gv}, Lucilii *P eadem manu* — **10** prospectat siculum. Et prospicit Tuscum mare R^r — *cf. Tac., Ann.* XIV 9 uiam Miseni propter et uillam Caesaris dictatoris quae subiectos sinus editissima prospectat; *Sen. Ag.* 562-563 — despicit (*uel* praespicit) *Guyet, cf. Sil.* XII 488 : perspicit P,R^g (*deceptus Gude notae pro forma? cf.* 29 5); prospicit R^rρ, *Pithou* (prospicit et *Tollius*ᵃ); respicit *Io. Fr. Gronov* — Prospicit infernum, respicit T- m- *Graeuius apud Burman* 1698 Respectat S- respicit *Heinsius*ᵇ — **11** alti (*in exitu lineae*) cinctis *P* : alti cinctus R^g alticinctis ρ (*cf.* « ανεσταλμενος alticinctus » *Corp. gl. Lat.* II *p.* 226); alte cinctus *Saumaise; sic metro coactus Hor. S.* II 8,10, altius c- *Petron.* 126 — **12** humeris ρ — *cf. Suet. Gai.* 26 quosdam summis honoribus functos...sibi...cenanti modo ad pluteum modo ad pedes stare succinctos linteo passus est — **13** districta *Dempster* (*ut uid., in Antiquit. Rom. Corp.*, 1613), *Io. Fr. Gronov*ᶠ, ρ — cirris : *fimbriis lintei, ut uidetur, potius quam ipsius hominis capillis in linteum dependentibus; sic Trimalchio gerit circa ceruices* laticlauiam mappam fimbriis hinc atque illinc pendentibus (*Petron.* 32) — **14** *itidem* R^r *ut P* — Domino amb- laeta per uiridaria *Desbillons* — laeta : alta *Gude*, sacra *Iac. Gronov, del. Lefebvre* — uiridia *Bongars, Saumaise ad Hist. Aug.* (1620) *p.* 268 : uiridiaria *P*, « uiridiaria *non* uiridaria... » R^r, uiridaria *de Meurs*, ρ — **15** conspargere PR^g (*cf.* 68,4; impartiar 104,5; *tamen* dispersus 95,11)

Y *fol.* 8 Humum aestuantem. Iactans officium comes II,v
Vt deridetur, inde notis flexibus
Praecurrit alium in x*y*stum, sedans puluerem.
P 24 Agnoscit hominem Caesar *ia*mque intellegit
Sibi ut puta*r*it esse nescioquit boni.
« Heus! » inquit dominus. Ille enimuero adsilit,
Donationis alacer cert*a*e gaudio.
X 15ᵃ Tum sic iocata est tant*i* maiestas ducis :
« Non multum egisti et opera nequiquam perit;
Linea 497ᵃ Multo maior*i*s alap*a*e mecum uen*e*unt. »

39. *Cf. Halm* 419. **[AQVILA ET CORNEX**

Contra potentes nemo est m*u*nitus satis; II,vi
Si uero accessit consiliator maleficus,
Vis et nequitia quicquid oppugnant ruit.
Aquila in sublime sustulit testudinem.

16 iactans officium PR^{v} — iactat *Hare* — **16-17** comes Vt *L. Havet* (*cf.* 100,8) : come· sed *P* (come *etiam* R^{v}) comae; Sed *Pithou* comes; Sed *Wase ap. Hare* suum; Sed *Cunn.* — come officium iactitans *Rigault* 1617 iactans comem offuciam *Heinsius*[b] iactans opificium comae *Desbillons* iactans officio comam *Orelli* coram off- iactitans *Zorn* — *pro* come *scr.* leue *Bentley* nouum *Burman* 1727 choae (= τῆς χοῆς, *fundendi*) *Stowasser* — **18** alium *P*ρ : illum *Pithou* — xystum *Saumaise*, ρ : xistum *P* — **19** hominem Caesar iamque *L. Havet* : hominem· caesaremque *P* (caesaremque R^{g}), h- Caesar remque *Pithou*, ρ (remque intellegit R^{v}) — **20, 22, 24** *om. Rig.* 1630 — **20-21** : 21-20 *Rig.* 1599, 21-22-20 *Stowasser* (20-25 *eodem ordine* R^{g} *quo P*) — **20** *itidem* R^{gv} (*nisi quod* quid) *ut P* — Sibi *add. L. Havet*, Id *add. Pithou*, Inde *Burman* 1727, Is *Brotier*, *Desbillons*, Ille *Riese* — Et id *Rig.* 1617 Igitur *Hare* — ut : Vbi *Stowasser* — putarit *L. Havet* (*cf.* 114,14) : putauit PR^{gv} putaret *Riese* — nescio esse quid *Scheffer* — Sibi ut imputari et esse n- q- boli *uel* doli *Heinsius*[b] Ita ut putauit is esse... *Croll* Vt qui putaret... *Hartel* — **21** *itidem* R^{g} *ut P* — adstitit *Gude* — **22** *itidem* R^{gv} *ut P* — alacris *Cunn.* — alapae certe *Gude* — certae *Pithou* : certe PR^{gv} — **23** *itidem* R^{g} *ut P* — Tunc *Gude* — iocata PR^{g}ρ, *Rig.* 1617 : locuta *Pithou* (*cf.* 78,9) — tanti *Pithou* : tanta PR^{gv}; *cf.* tanto duce *Martial.* XI 8,6 — **24** *itidem* R^{g} *ut P* — Non : Tu *Hare* — Nae tu m- e- opera nec quidquam parit *Cunn.* — nequiquam perit (§ 103) PR^{gv} — **25** multo maiores alapae mecum uenerunt R^{gr} — maioris *Rig.* 1617, ρ : maiores PR^{gr}; *ex* 24 *subintell.* operae? — alape *P* — mi cum *Heinsius*[a] meae *Scheffer* apud me *Cunn* — ueneunt *Pithou* : uenerunt PR^{rgv} ueneant *Scheffer*[*] — Aliquanto pluris alapae nostrae (*uel* regum) u- *Nauck*

39, 40, 41, 42 : *habet Perottus; etiam ex libro II crediderim fab.* **124** *hausisse* — **39** : *Wiss. II* v (*Hervieux, II*[2] *p.* 167), *Rom. I* XIII — AQ- CORNIX ET TEST- ρ — CORNIX P^{2} — POTENTIBVS NON FACILE RESISTI POSSE : QVOD SI NEFARIVS CONSILIATOR ACCESSERIT OMNIA PESSVMDARI *Perottus* — **1-3** *om. Perottus* — **1** potentem *Wiss.* — est munitus *Pithou* : est monitus *P et puto X*; tutus est R^{g}, *Iac. Gronov* (*credidit Bentley fuisse* tutus est nemo *et probauit*); tutus R^{v}, *sed eadem manu in marg.* est mu (tutus *Wiss.* tutus et [*uel* ac] munitus *Rom.*; *cf.* 46) — **2** malficus *L. Mueller* (§ 79) — *post* **2** *lacunam statuit de Meurs* — **3** quicquid PR^{v} — oppugnat *et actiue* ruit *Schoppe* — ruunt *Ouvering* — **4** sublime

II,vi

Quae cum abdidisset cornea corpus domo
Nec ullo pacto laedi posset condita,
Venit per auras cornix et propteruolans :
« Opimam sane praedam rapuisti unguibus;
Sed nisi monstraro quid sit faciendum tibi,
Graui nequiquam te lassabit pondere. »
Promissa parte suadet ut scopulum super
Altis ab astris duram inlidat corticem,
Qua comminuta facil*em* uescatur cib*um*.
X 16' *P* 25 Inducta uerbis aquila *ut anui* paruit,
* * * * * * * * * * * *
Simul et magistr*ae* large diuisit dapem.
Sic tuta quae natur*ae* fuerat munere,
Linea 515' Impar duabus occidit tristi nece.

(*Cod. V imago, Hervieux II*[2] *p.* 83.)

40. **[MVLI DVO ET VECTORES]**

Muli grauati sarcinis ibant duo ; II,vii

v*V*, *Pithou*, ρ (alto caelo *Wiss. Rom.*) : sulime *P* — **5** Quaecunque (-mque *V*[b]) abstulisset *V* (*cf.* 106,4), Quae quum abdidisset v — **6** Pacto nec ullo *Bentley* — ledi *V* — posset v*V*, *Pithou* : possit *PR*[6v] (*u.* 24,4) — **7** propter *P*ρ : praeter v preter *V*; *cf.* 134,4 *et u. L. Mueller p.* xxvii ; § 93 — **8** opimam *P*ρ,*N*[o]v : opinam *P*[1] optimam *V*, *Wiss. Rom.* — sane *P*ρ : inquit *N*[oi]*V* (inquid *uel* inquit fers predam *Wiss. Rom.*) — predam *V* — **9** faciundum *N. Heinsius*[b] — **10** nequiquam *PR*[v] : nequidquam v nequicquam *V*[m] nequaquam V[b] — lassabit *PR*[6v] : lassauit *N*[oi]*V* -bis *Pithou* — **11** suadet *P*ρ : uadens *N*[oi]*V* (consilium dedit *Wiss. Rom.*) — ut : haec *Cunn.* — scopulum *P*ρ : scopulos *N*[oi]*V* (*u.* 70,22) — **12** Altis *om. N*[oi]*V* — altis· ab *interpungit P* — astris : *u.* 7,4 — inlidat : illidat ρ ill- monet *N*[oi]*V*[b] ill- mouet *V*[m] — *de re cf. Val. Max.* ix 12 *ext.* 2, *Aelian.* περὶ ζώων vi 16 — **13** facilem...cibum (*cf.* 32,11) *L. Mueller* : facile...cibo *P*ρ,v*V*, facili...cibo *Burman* 1718 — **14** ueris *Io. Fr. Gronov*, *Diatribe in Stat.* (1637) ii 13, his uerbis *Cunn.* — ut anui *L. Havet* : monitis *P*ρ,v (*cf.* 1), monitus *V* (*cf.* 49,8 ; 111,7), monito *Heinsius*[b] ; *cf.* laniger, bidens, auritulus, barbatus ; *quid aliud* monita *uel* monitum *quam* uerba *iam significata*? — *post* **14** *deest uelut* Nullo labore carnem discerpsit sibi — **15** et *P*ρ : *om. N*[oi]*V ut* 72,10 — magistrae ρ : magistre *P* — larga *Heins.*[b] largam *Burman* 1698 ; *cf.* 37,24 — diuisit *P*ρ : dimisit *N*[oi]*V* — **16** tuta *P ead. manu*, v*V*, *Pithou*, ρ : tota *P*[1] (quae [quam *Wiss.*[2]] natura muniebat *Wiss.* quam natura munierat *Rom.*, *ubi uerbum ex* munere *ortum*) — quae *V*,ρ : que *P* — naturae ρ : nature *P* natiuo *Heinsius*[b] — n- fuerat *P*ρ : fuerat n- *N*[oi]*V* — **17** duobus ρ — tristi nece : iniquo consilio *Wiss. Rom.*

40 : *continuauit Perottus iambis suis, quos u. ap. Herv., II*[2] *p.* 198 — *codicis V ipsam mihi Hervieux photographiam commodauit* — MVLI...VECTORES *PR*[v] (SECTORES *Stowasser*) — ET *PR*[v] : *an delendum? contra addendum uid. tit.* 95

V fol. 1 Vnus ferebat fiscos cum pecunia, II,VII
Alter tumentis multo saccos hordeo.
Ille onere diues celsa *it* ceruice eminens
Clarumque collo iactans tintinabulum,
Comes quieto sequitur et placido gradu.
Subito latrones ex insidiis aduolant [*lac.*?]
Interque caedem ferro mulum sauciant,
Diripiunt nummos, neglegunt uile hordeum.
Spoliatus igitur casus cum fleret suos,
« Equidem » inquit alter « me contemtum gaudeo;
Nam nil amisi nec sum l*a*esus uulnere. »
X 16ᵃ Hoc argumento tuta est hominum tenuitas;
Linea 530ᵃ Magnae peric*l*o sunt opes obnoxiae.

41. [CERVVS AD BOVES]

Ceruus nemorosis excitatus latibulis, II,VIII

2 phiscos $N^{b}V$ — pecunia v*V*, *Pithou*, ρ : peccunia *P* (*cf.* 82,38) — **3** tumentis $N^{b}V$: tumentes *P*ρ — multo *P*ρ : multos $N^{b1}V$ — ordeo *V* (*cf.* 9; 94,3) — **4** Ille : It *Nauck*, *cf. L. Mueller, ueber A. Nauck's Phaedrusstudien p.* 11 — onere : oncat *Stowasser* — it *add. post* celsa *Bentley* (*recte allitterationem uitans, u.* 4,9), *post* onere *L. Mueller* — It propere diues *Nauck* — *etiam* dis it *L. Mueller* (§ 90) — eminens *P*ρ : eminet $N^{1}V$, *Richter* (*non uidi*) — **5** iactans *P*ρ : iactat $N^{b1}V$, *Richter* — tintinabulum *P*,*V* (*cf.* tintinant *Catulli*; § 41) : tintinnabulum *Pithou*, ρ, v — **6** Comes hic *Heinsius*, *Epist.* XIX *ad Scheffer* — quieto *P*ρ,vV^{1} : quiete V^{2} quietus *Bentley* — **7** subito latrones *P*ρ : Latrones subito $N^{1}V$ (*p.* 287) — **8–9** : 9-8 *de Meurs* (*quod uetat* Spoliatus 10) — **8** *itidem* R^{r} *ut P* — cedem *V* praedam *de Meurs* se dum *N. Heinsius*, *Epist.* XIX *ad Scheffer* sepem *Heins. ap. Burman* 1718 (Vterque [Vtrumque?] foede *idem*) praedam hunc *Ouvering* — mulum : multum *de Meurs uel eius operae*, in illum *Riese*; mulum *utrum dici debuit; an* mulcant, *ut in* trucidant (*uel* rucidant) *lateat accusatiuus qualis* principem? *potius crediderim ante* 8 *excidisse uersum uelut* Priorem sistunt, ui custodes opprimunt — sauciant $N^{b1}V$, *Heinsius*[b] : trucidant PR^{Rrg}ρ tonsitant *Pithou* trusitant *Rig.* 1599 tunditant *Bongars* tunsitant *uel* tuditant *de Meurs* tusitant *Saumaise* incursitant *praefert Heins.* lancinant *Burm.* 1727 proruunt *Riese* — **9** neglegunt R^{v} : neclegunt *P* negligunt v*V* — ordeum *V* — Prior spoliatus *Nauck*, *cui* igitur *suspectum* — quum v — **10** casus... suos : *cf.* 10,10 — **11** equidem *P*ρ,vV^{2} : Et quidem V^{1} — contemtum PR^{v},v : contentum *V* — **12** nam *P*ρ : Quod $N^{1}V$ — nil *P*ρ : nihil v*V* (§ 91) — laesus (lesus *P*) uulnere *P*ρ : passus uulnera $N^{b1}V$ — **13-14** *om. Perottus* — **14** Magno *Danet* — periclo (§ 90) *Pithou* : periculo *P*ρ

41 : *Adem.* XLVIII (*Hervieux*, II^{2} *p.* 148); *Wiss. IV* VI (*p.* 181) *et IV* XVI (*p.* 186), *u. ad fab.* 51; *Rom. III* XIX — C- AD B- PR^{v} DOMINVM IN REBVS SVIS VIDERE PLVRIMVM *Perottus* — **1** nemorosis *P*ρ : nemorum $N^{b1}V$ — Nemorosis ceruus *Riese* — excitatus *P*ρ, N^{b} *errore Burm. ut uid.* : exagitatus N^{1} exagitatis *V*; *cf. L. Mueller p.* XXVIII

Vt uenatorum e*c*fugeret instantem necem, II,VIII
P 26 Caeco timore proximam uillam petit
Et in b*u*uili se* o*p*portuno condidit.
Hic bos latenti : « Quidnam uoluisti tibi,
Infelix ultro qui ad necem cucurreris
Hominumque tecto spiritum commiseris? »
At ille supplex : « Vos modo » inquit « parcite 8
Spatium diei; noctis excipi*e*nt uices; 10
Occasione rursus erumpam data. » 9
Frondem bubulcus adfert, n*i*l *a*deo uidet. 11
Eunt subinde et redeunt omnes rustici,
Nemo animaduertit; transit etiam uilicus,
Nec ille quicquam sentit. Tum gaudens ferus
X 17^{r} Bubus quietis agere coepit gratias,
(*quatern. III*) Hospi*t*ium aduerso quod praestiterint tempore.

2 uenatorum...necem, *cf.* fati miseria 78,3 : *sic* graui uenantum uulnere *Verg. A.* XII 5 (uolnere Vlixi *id.* II 436), μίμνων μόρον ἀγρευτῆρος *Oppian. Halieut.* III 116 (uenatorem...instantem neci *uel* uenatores...instantes neci *uel* uenatore...instanti necem *Heinsius*^{b} 1727, A uenatore ut... *Bentley*, A uen- inst- ut fug- *Cunningham*) — ecfugeret *L. Havet* (*cf.* 13,4; 32,3) : fugeret *P*ρ, effugeret *V*^{h} (*confirm. L. Mueller p.* XXVIII; *in N legi nequit*), *Adem.*, *Pithou*, *ut* 133,1; euaderet *Wiss. Rom.* — instantum *Hare fort. uere* — **3** Ceco *V* — petit : § 103 — **4** in buuili se opportuno *L. Havet* : oportuno bobili se *X* (*sine* in *ut* 37,17), inter bubulos rusticus (*igitur* osrusticus = opportuno) *Perottus*, se in bouile *paraphrastes*; b- se *PR*^{v} se b- *Pithou*; bobili *R*^{gv} bouile *P*^{2} *in ras. Adem. Wiss.* stabulum *Rom.* bouili *Pithou* buuili (*u.* 82,38) *L. Havet*; oportuno *P* opport- ρ, rust... *N*^{o} rusticus *N*^{1} rustice *V* (*u.* 72,13), *om. Adem. Wiss. Rom.* — condidit : coniecit *ex suo puto paraphrastes* (*qui ex* opportuno condidit *hic casu omissis fecit infra* obscuro se condidit loco), credidit *Burman* 1727 — *lac. suspic. Prasch* — **5** Hic bos *P*ρ : Huic eo *N*^{o1}*V* — quidnam *P*ρ,*N*^{o}v : quodnam *V*^{h} — **6** Infoelix *V* — qui neci occucurreris *uel* q- necem incuc- *Heinsius*^{b} — **7** hominum *P*ρ : Hominis *N*^{o1}*V* (« *non male* » *Burman* 1727) — *post* **7** *habet Adem.* silua te melius celares aut ungula secares campum quam hic deuorareris; *Wiss.* silua te melius celabat aut ungulam leui (leuare *Wiss.*^{2}) per campum quam hic (huc *Wiss.*^{2}) uenires; *Rom.* melius te silua celasset aut ungula quateres campum quam huc deuenires — **8** uos *N*^{1}*V*, *Wiss. Rom.*, *Pithou* : bos *PR*^{gv} — *de lacunis post* **7** *et* **9** *cogitat Riese* — **10-9** *transp. L. Havet ducibus Adem. Wiss. Rom.* : et cum uenerit sero, ibo qua uoluero parte securus; haec cum dixisset, obscuro se condidit loco *Adem.* cum dies abierit, uespere cum coeperit, ibo securus; haec cum illis diceret, obscuro se condidit (secum dedit *Wiss.*^{1}) loco *Wiss.* dum erit sero, eo ubi uolo securus; haec cum loquitur, obscuro se condidit loco *Rom.* — *ante* 11 *deesse uersum collato Rom. putauit Nevelet; quem sic fere restituere possis* : Haec ubi locutus, caeco se occuluit loco (*La Fontaine : Il se cache en un coin...*); *sed de* obscuro se condidit loco *u. ad* 4; *neque post* latenti *u.* 5 *de latibulo fieri mentio debet* — **10** spacium *V* — diei *P*ρ : dein *N*^{o1}*V* — excipient *L. Havet* : excipiunt — **11** *itidem R*^{r} *ut P* — adfert *P*,*N*^{1} : affert *V* affertur *N*^{o} *errore Burm. ut uid.* — nil *Siebelis* : nihil *N*^{o1}*V* nec *P*ρ et nihil *Iannelli* — adeo (*cf.* 5,7) *Saumaise*, *Heinsius*^{b} : ideo *P*ρ, *om. N*^{o1}*V* (uero *habet Adem.*) quidquam *Langen*, *Rh. Mus.* XIII (1858) *p.* 208 ceruum *Zorn* — **12** et *del. Cunn.* —

r fol. 5 Respondit unus : « Saluum te uolumus quidem; II,VIII
Sed ille qui oculos centum habet si uenerit,
Magno in pericl*o* uita uertetur tua. »
Haec inter ipse dominus a cena redit
Et quia corruptos uiderat nuper boues,
Accedit ad pr*a*esepe : « Cur frondis parum est,
Stramenta desunt? tollere haec aranea
P 27 Quantum est laboris ? » Dum scrutatur singula,
Cerui quoque alta conspicatur cornua;
Quem conuocata iubet occidi familia
Praedamque tollit. Haec significat fabula
Linea 559a Dominum uidere plurimum in rebus suis.

42. **[AVTOR]**

Aesopi ingenio statuam posuere Attici (II,EP.)
Seruomqu*e* collocarunt aeterna in basi,

omnes : homines *Nauck* — **13** animaduertit $P\rho$: eum aduertit $N^{ol}V$ — etiam *P*,ν : et V^{h} *om.* V^{1m} — uilicus PR^{v} : uillicus ν*V* — **14** ille : ipse *Adem. Rom.* — quicquam P^{2} *in ras.*, R^{v},*V* : quidquam ρ,ν — sentit : cernit *Nauck* — ferus $P\rho$, *Adem. Rom.* (*uar.* fera) : ceru *Wiss.* ceruus *Wiss.*^{2}, N^{ol}, coruus *V* — **15** bubus R^{sv},$N^{ol}V$, *Adem. Wiss.* : bobus *Pithou*, bouibus *uel* bobus *Rom.*, boues P^{2} *in ras.* — quietis $P^{1}\rho$,$N^{ol}V$, *Pithou* (*dat. pl.; gen. sg. Rittersh.*) : quietos P^{2}, *om. Adem. Wiss. Rom.*, quietus *Bentley* quietum *Cunn.* (*partic. puto : qui ut ruminarent procubuerant*) — cepit *V* — **16** Hospitium ρ : hospicium *P* ospicium V^{h} — quia $N^{ol}V$ — praestiterint ρ : prestiterint *P* praestarent $N^{ol}V$ — tempora V^{h} — **17** uolumus *et* $N^{ol}V$ *et Adem. Wiss.*, *Romuli fons* : cupimus $P\rho$ — **18** *de elis.* qui oculos *u. L. Mueller De re metr. p.* 427 ; § 30 — oculos qui *Giovenazzi ap. Iann.* — habet centum ρ — **19** *om.* $N^{ol}V$ — magno P^{2} : magna P^{1} — periclo (§ 90) *Pithou* : periculo $P\rho$ — uertetur PR^{v} (« *pro* uertitur » R^{v}) : uersatur ρ — **20** coena ρ — **21** corruptos : macilentos *Adem. Rom.* maculentus *Wiss.* — nuper boues ν*V*, *Pithou*, ρ : boues nuper *P* (et quia nuper uiderat... *Adem. Rom.* et auia [*sic*] uiderat nuper... *Wiss.*) — **22** accedit $P\rho$: Accepit *V* (*in N legi nequit*) accessit *Adem. Wiss. Rom.* — presepe *P* praesepe ρ : prosepia V^{h} prasepia V^{m} (*in N legi nequit*) praesepia *uel* presepia *Adem. Wiss. Rom.* — **23** desinit V^{h} — *fortasse* aranaea *P* — **24** Quanti *N. Heinsius*^{a} — scrutat V^{h} — **25** alta conspicatur $N^{ol}V$, *Philippe* : est alta conspicatus *P* (est alta R^{v}), *cf.* 48,4 ; alta est consp- *Pithou*, ρ — **27** Praedam ρ, *Pithou*, Predam *V* : praedum *P* — tolli *Heinsius*^{b} (*minus prope uellem* tollere 23) — haec...fabula (§ 14) : quam parauerat casus *Perottus* (*cf. L. Mueller p.* XXIX) — **28** *om. Perottus, sed cf. tit.*

42, **1-4** : *Wiss. V* XI (*Herv.II*^{2} *p.* 191), *Rom. IV* XXII — *fab.* 42 *nec prologus est nec epilogus* (*cf.* 71, 84, 105); *distinxit ab epil. L. Havet* (§ 110); *totius sylloges epil. faciunt Rom. Wiss.* — AVCTOR R^{v} — INGENIO ET VIRTVTI VERAM GLORIAM TRIBVI *Perottus* — **1** Aesopi $P^{1}R^{sv}$,N^{o}ν : Aesopo P^{2} Esopi *V* — ingenio $N^{oi}V^{2}$, *Gude* : ingento P^{1} ingentem $P^{2}\rho$, *Pithou*, ingenii V^{1} (scripta et ingenia Aesopi... *Wiss.* scripta et ingenium Aesopi... *Rom.*) — **2** Seruum N^{o}ν*V*, *Pithou*, Seruom *L. Mueller* (*cf.* 77,8) : seruolum R^{v} seruulum *P* — que *Pithou* : quae *P* — colloc- *P ead. manu* : collacarunt P^{1} — aeterna in $P\rho$: aeternae $N^{oi}V^{h}$ aeterne V^{m} aenea *uel* extrema *Guyet*

X 17a Patere honori*s* scire*nt* ut cuncti uiam (II, EP.)
Nec generi tribui, sed uirtuti gloriam.
Quoniam occuparat alter *ut* primus foret,
N*e* solus esset stud*ui*, quod superfuit;
Nec h*ae*c inuidia, uerum est *ae*mulatio.
Quodsi labori fauer*it* Latium meo,
Plures habebit quos opponat Gr*ae*ciae.
Si li*u*or ob*tr*ectare curam uoluerit,
Linea 571a Non tamen eripiet laudis conscientiam.

[*Hic reponendae uidentur fabulae* **14a-32**]

43. *Epilogus*. [. . . . .]

* * * * * * * * * * * * * * II, EP.
Si nostrum studium ad aures peruenit tuas (42,12)
Et arte fictas animus sentit fabulas,
Omnem querelam submouet felicitas.
Sin autem ra*uu*lis doctus occurrit labor,
P 28 Sinistra quos in lucem natura extulit
Nec quicquam possunt nisi meliores carpere,

3 patere $P\rho$,v : Parere *V* — honoris (§ 48) *Pithou* : honori $N^{ol}V$, *Bentley*, homini PR^{rv} — scirent nomini *Heinsius*[b] scires ut cunctis *Prasch* — scirent ρ : sciret P^1 sciretnt (*sic*) *P eadem manu* — **4** generi v*V* (*cf. tit.*), $P^2\rho$: generit P^1 genere R^r — *statuae titulum afferunt Wiss. Rom.* — *post hunc u. lacunam notat Pithou* — **5** *ss. om. Perottus* (*p.* XIV) — **5** Quod iam *Rigault* 1599 — ut *Bentley* : ne $P\rho$ — foret PR^{rv} : forem *Rittersh.* — **5-6** Quum iam occuparit alter nae is primus fuit; Ne s- e- studui ego *Cunn.* — **6** Ne *Rittersh.* : nec (*cf.* 7) $P\rho$ — Nec s-, ecce studii *Iac. Gronov* — studui *Rittersh.* : studii PR^{rv} studiis *Gude* scripsi *Richter, specim. animadu. crit. p.* 67 — quid *Saumaise* — **7-19** *del. Guyet* — **7** haec ρ : hec *P* — aemulatio ρ : emulatio *P* — **8** fauerit *Pithou* : faueret *P* (*fortasse* falleret P^1 : *an* faberet ?) faberet R^{rv} — **9** Graeciae ρ : greciae *P* — **10** Sin *de Meurs* Vt *Heinsius, Epist.* XXI *ad Scheffer* — liuor *Pithou* : labor *P* libor R^{rv} (*etiam opinor* P^1, *nam in collatione adscripta a.* 1779 *ab des Aulnays margini ed. Burm. a.* 1727, *Bibl. Nat. Y* 6579A, *adnotatum est* « si labor oblectare. *antiquitus*, libor ») — obtrectare (*cf.* 77,15) *Pithou* : oblectare PR^{rv} (« *fort.* objectare » R^v) obiectare *Gude* — **10-11** laudem uoluerit...curae conscientiam *Machly* — *post* **11** *non interpungit P, quia fabulae exitus olim hic fuit; sic non interpungitur post* 1 4 14a 21 23 31 32 33 45 48 50 52 84 85 67 74 76 97

43 : **1-8** *a praecedente fabula disiunxit L. Havet* (§ 110), *hinc uerum libri II epilogum ordiens* — **1** *excidisse quaedam ante hunc u. opinatur Hare; cf.* § 142 — Si nostrum ad aures peruenit studium tuas *Cunningham* — peruenit tuas $P\rho$: cultas peruenit *L. Mueller uerae lectionis codicis P ignarus*, tritas p- *Zorn*, peruenit suas (= *idoneas*) *Hartel* — **2** apte (*u.* 75,9) *Heinsius*[b], forte *Heinsius, Epist.* XXI *ad Scheffer* — animus sentit : *cf.* animus sentiat 44,3 — **4** rabulis *Baehrens, Rh. Mus.* XXVI (1871) *p.* 144, rauulis *L. Havet* (*non ab* rabie, *uerum ab* raua *uoce*) : ab illis PR^{rv} illis *uel* et illis *Rittersh.* (autem; ac illis *Schoppe*) ab illis *uel* asellis *Rigault* 1599 — in illos d- incurrit *Prasch* ubi illis d- occurret *N. Heinsius*[b] ad illos d- decurrit *Io. Fr. Gronov*[t]

Y fol. η Fatale ex*i*lium corde durato feram II, EP.
Linea 579ᵃ Donec fortunam criminis pudeat sui. (42,19)
X 19ʳ (*P* 29); 14; *lin.* 613ᵃ Nunc fabularum q*u*r sit inuentum genus (III, PR., 33)
Breui docebo. Seruitus obnoxia,
13 *habet Perottus, u.p.* 47 *et* 277 : *imago codicis N, Hervieux, II*² *p.* 86) Quia quae uolebat non audebat dicere, (44,35)
Affectus proprios in fabellas transtulit
Calumniamque fictis elusit *i*ocis.
* * * * * * * * * * *
Illius porro semita*m* *ego feci uiam;
P 30 E*x*cogitaui plura quam reliquerat,
In calamitatem d*e*ligens qu*a*edam meam. (40)
Quods*i* accusator alius Seiano foret,
Si testis alius, iudex alius denique,
Dignum faterer esse me tantis malis
Nec his dolorem d*e*l*e*nirem remediis.
Suspic*i*one siquis errabit sua (45)

et illis doctis... *Cunningham* et illos d- offendet *Sanadon* ab illis d- occiderit *Croll* — Sin minus ac illis *Hare* — doctus illis *Rigault* 1617 — occurret *uel* acuerit (*ab* acesco) *N. Heinsius*ᵇ arguitur *uel* arcetur *id. ap. Burman* 1727 obteritur *Bentley* — **6-8** *del. Nauck* — **6** *del. Bentley* (*lacunam suspic. Hare*) — Nec qui quidquam audent nisi *Cunningham* Ne...possunt ni *Stowasser* — quidquam ρ — meliores *P*ρ (§§ 39,77) : maiores *Zorn* (*possis* maiiores, *cf.* cuiius 33,13 *et u.* 79,2 ; *sed obstat sensus*) — nec quicquam docuit nisi bonos ut carperent *Riese qui mutatum putat uersum « in sermonem pedestrem »* — **7** exilium (§ 158) *Gruner* : exitium *P*ρ (*qui* exilium *reiciet, cum neque* exitium *neque* uitium *ferri possit, poterit ille scribere* saeclum), uitium *Io. Fr. Gronov*, *Tollius*ᵃ (*cf. L. Mueller, ed. min. p.* XII), euentum *Bentley*, edictum *Cunningham* — Tale exitum etiam c-d- feram *Hare* Fatalem c- d- exitum feram *Burman* 1727 — d$\overset{v}{o}$rato *R*ᵍ

9-39 : *codicis X folia* 18 19 *transposuit L. Havet* (§§ 105-112); *Wiss. V* VIII, *Rom. IV* XXIII — **9** Nunc *respondet illi* feram Donec... (7-8); *hic autem de origine fabularum tractat Phaeder, ut in prol.* 33 *de earum natura* — qur *L. Havet ut* 2,5 : cur *P* quur *Rom.* — **10** Breuiter *N. Heinsius*ᵇ — **11** quae : que *Perotti N* qua *Heinsius*ᵇ — hiscere *N. Heinsius*ᵇ — **13** Calumniaeque *N. Heinsius*ᵇ — fictis elusit *Perottus* (elusiet *N*), *Pithou* : fiet (*u.* 103,6) scelus it *PR*ᵛ (scelus it *R*ᵍ, seclusit *Gude*, adlusit *uel* illusit *N. Heinsius*ᵇ, sic lusit *Iac. Gronov*) — iocis *Perottus*, *Pithou* : locis *PR*ᵍᵛ ocis *V*² cocis *V*¹ *ut uidetur* — *lacunam agnouit Rigault* 1599 — **14** : *cf. Martial.* VII 64,4 — Illius porro semitam ego *L. Havet* : ego illius porro (pō *R*ᵍ) semita *PR*ᵍʷ, *R ap. Brotier* (illius porro ego *R*ᵛ; § 10), Ego porro illius s- *Schoppe*, Exili porro e *N. Heinsius*ᵇ, Illius ego porro e s- *Tollius*ᵃ, Aesopi illius s- *Gude* Ego illius post *Iac. Gronov*, Ego illius pro s- *Johnson* — semitam *Guyet*, *Scheffer* : semita *P*ρ, *cf. Wiss. V* XI (quod multorum semitas amplissimas faceret uias, *Hervieux, II*² *p.* 191), *Rom. IV* XXII; e semita *Heinsius*ᵇ, *Tollius*ᵃ — **15-19** : § 133 — **15** : § 148 — Excogitaui *Scheffer* : et cogitaui *P*ρ, *cf.* 45,2 — « *fortasse* concinnaui » *L. Mueller* concitaui *Stowasser* — quam : quae *Machly* — Excogitando...relicta erant *N. Heinsius*ᵇ — **16** calamitati *alludit supra* (omnem querelam *u.* 3) — deligens *Pithou*, ρ :

(III, PR., 46)

Et rapiet ad se quod erit commune omnium,
Stulte nuda*b*it animi conscientiam.
Huic excusatum me uelim nihilo minus ;
Neque enim notare singulos mens est mihi,
X 19ª Verum ipsam uitam et mores hominum ostendere.
Rem me professum dicet for*s* aliquis grauem. [*gloss.*]
Si Phr*y*x *A*esopus potuit, Anachars*is* Scyth*es*
*A*eternam famam condere ingenio su*is*,
Ego litteratae qui sum pro*p*ior Graeciae
Cur somno inerti deseram patriae decus,
Threissa cum gens numeret auctores *de*os,
Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo,
Qui saxa cantu mouit et domuit feras
He*br*ique tenuit impetus dulci mora ?
P 31 Ergo hinc abesto, li*u*or, ne frustra gemas

114 : *anon. Wiss. III* XI (*Hervieux, II² p.* 177), *Romulus III* VIII — DE MVLIERVM LIBIDINE *Perottus* (*cf.* 118) — **1** Quum v — *intercidisse uersum unum uel plures indicant Wiss.* (castitatem laudans Iuno dis deabus precantibus persuadebat esse melius ut femina unum esset propriumque suo sufficeret : *Wiss.²* deabusque presentibus p- c- m- ut f- uno esset uiro contenta proprioque suo s-) *et Rom.* (diis deabusque presentibus Iuno laudauit castitatem persuadebat et melius esse ut femina uni esset coniuncta proprioque suo sufficeret); *sic fere restitueris* Dis et deabus asserens praesentibus Mari coniungi melius uni feminam; *lacunae indicium praeterea dat nimia textus Perottini breuitas, item* iucunditas *nimis uicina* castitati — **2** Iucunditatis *Iannelli* : Iocunditatis *V*ᵐ, ...nditatis *N*¹, iocundi *Wiss.*, iocandi *Wiss.² Rom.* (*cf.* iocos 13), Iocum agitandi *Orelli; cf.* 70,24 — causa *V*, *Wiss. Rom.* (caussa v), *Cassitto* : causam *Iannelli*; causa, hanc *Dressler* — non r- : haud reppulit *Maehly* interpellat *A. Spengel p.* 725 depellit *uel* hanc depellit *Hartel* — renuit *L. Havet* : repellit *N*¹*V*, repulit *d'Orville*, *Iannelli*, spreuit *L. Mueller* — Iuc- ansam repperit Venus *Haupt opusc.* III *p.* 366 — **3** N..l..que *N*¹ (Nullamque *Iannelli*) — illi parem (*cf.* 35,6) · illic parem *Eichstaedt ap. Beck p.* 249 sibi imparem *Orelli* ipsi (*cf.* 34,6) inparem *L. Mueller, De Ph. et Auiani fabb. p.* 30 — **4** ....rrogasse *N*¹ (Interrogasse *Iannelli*) — gallinam *faciunt Wiss. et Rom. unde nescio* patientem et taciturnam — **5** Dic *in N*¹ *legi nequit* (*restituit Iannelli*) — sodes : *cf. L. Mueller p.* 109 — possis v : posses *V* (possit *Wiss.* posset *Wiss.²*, *utrumque traditur in Rom.*) — **6** R...ndit *N* (Respondit *Iannelli*) — quidquid v — **7** S.. .t *N*¹ Sed ut *Iannelli* — **9** immo v : uno *V* — permittes *L. Havet metri causa* (§ 48) : permitte v*V* — **11** est *libens deleuerim; cf.* 38,9; 41,25; 50,9; 59,9 — naturae : *u.* 19,5 — **12** mi *Iannelli* : mihi v *V* (§§ 10,70,91) — mihi *deleto* patescat *siue* patefiat *L. Mueller, quem uide p.* 109; *ego malim* ipsum *uel* usque *uel* (*deleto* est 11) inquit pateat (si horreum mihi patefacias *Rom.; omnino uox in Wiss. deest*) — ego sc- : § 48 — **13** ioco (*uel* iocis) *Iannelli*

Qu*ae* per gallinam denota*r*it feminas. A.,IX,14

115. *Iuuencus et bos uetulus.*

Paterfamilias s*ae*uum habebat filium. A.,X
Hic e conspectu cum patris recesserat,
Verberibus seruos afficiebat plurimis
Et exercebat feruidam ad*u*lescentiam.
*A*esopus ergo narrat hoc breuiter seni :
Quidam iuuenco uetulum adiungebat bouem.
Is cum refugiens impari collo iugum
Aetatis excusaret uires languidas :
« Non est quod timeas » inquit illi rusticus ;
Non ut labores facio, sed ut istum domes,
Qui calce et cornu multos reddit debiles ; 11
Atrocitati mansuetudo est remedium. » 15
S*ic* tu ni* tecum assidue retines *filium* 12
Feroxque ingenium comprimis clementia,
Vide ne querela maior accrescat domus.

14 Quae *L. Havet* : Quia v*V*; *cf.* 113,31 — per *om.* *V*[b] — denotarit *L. Havet* (*cf.* putarit *pro* putauit 38,20; *contra* cruciari *pro* -aui 68,31) : denotauit v*V* denotarat *Burman*

115 : *anon. Wiss. IV* xv (*Hervieux, II*[2] *p.* 185), *Romulus III* xi — QVOMODO DOMANDA SIT FEROX IVVENTVS *Perottus* — **1** seuum *V* — **2** « *fortasse* ec » *L. Mueller* — quum v — patris quum *Iannelli* — **3** afficciebat *V*[b] — **4** Et v : *om.* *V* — adolescentiam v*V* — feruida adolescentia *Cassitto* — **5** Esopus *V* — hoc br- narrauit *Riese* (*u. ad* 7,2) — **6** iuuenco uetulum...bouem v*V* : uitulum...boui *Wiss. Rom.* — **9** ...as *N*[1] (timeas *Iannelli*) — **10** l.b... *N*[1] (labores facio *Iannelli*) — « *fortasse* » uti stum *L. Mueller*, *quod uel propter rem metricam nefas* (§§ 21, 55) — **11** ...ce...nu *N*[1] (Qui calce et cornu *d'Orville*, *Iannelli*) — reddit v : reddis *V* — *cf.* asinum faciunt debilem membris costisque fractis, *Adem.* XVII, *Wiss. II* x, *Rom. I* XVI — **12** S.. tu ..si ..tum *N*[1] Et tu nisi istum *V* — Sic *Iannelli* Set *Riese* — ni *L. Havet* : nisi istum *V*, *quod ortum uidetur ex* ni filium (*nimis prope* istum 10, *neque coram adulescentulo locutus Aesopus*), nisi natum *uel* ni gnatum *Iannelli* (*unde L. Mueller, De re metrica p.* 417 nisi tu natum) — detines *Cassitto* — filium *add. L. Havet ex illo* -si istum ; *u. p.* 287 — **13** Feroxque *V*, *Orelli : in N legi nequit* — ..genium *N*[1] (ingenium *d'Orville*, *Iannelli*) — **14** ..de *N*[1] (Vide *d'Orville*, *Iannelli*) — « *fortasse* » domu *L. Mueller* — **15** *transp. L. Havet ; de quadrupede* mansuetudo *ut* 106,7, *non de homine ; atque displicet totus uersus si post* 13 *legitur* — *Publilius* Cuiuis dolori remedium est patientia ; *alibi similia*

116. *Aesopus et uictor gymnicus.*

Victorem* forte gymnici certaminis A.,XI
Iactantiorem *Phryx* cum uidisset σοφος,
Interrogauit a*n* p*l*us* aduersarius
Valuisset *ner*u*i*s. Ille : « Ne istud dixeris;
Multo fuere uires maiores meae. »
« Quod » inquit « ergo, stulte, meruisti decus,
Minus ualentem si uicisti fortior?
Ferendus esses, *a*rte si te diceres
Superasse, *quam tu* qui esset melior uiribus. »

117. *Asinus et lyra.*

Asinus iacentem uidit in prato lyram. A.,XII
Accessit *et* temptauit c*h*ordas ungula ;
Sonuere tact*ae*. « Bella res *est* mehercules;
Male cessit, *ego* » ait « artis quia sum nescius.
Si re*p*perisset aliquis hanc prudentior,
Diuinis aures oblectasset cantibus. »
Sic saepe ingenia calamitate intercidunt.

116 QVOMODO COMPRIMATVR ALIQVANDO IACTANTIA *Perottus* — **1** Victorem forte *Iannelli* : Forte uictorem *N^1V* (*similiter immutati a Perotto u.* 40,7, *sed ut minor fieret syllabarum numerus, p.* 287, *et* 52,12) — **2** Phryx cum uidisset σοφος *L. Havet* : cum uidisset Esopus *NV* (*cf.* 58,9); c- u- uir sophus, Phryx sophus, Phryx senex (§ 52) *Iannelli*; c- u- philosophus *Iannelli* 1811; quum esse uidisset sophus *Cassitto*; Aesopus ut uidit, statim *Riese in praef.* — quum *et* Aesopus v — **3** an plus *Iannelli* : ampliusne (*de* ne *u.* 4) *N^1V*, amplisne *Cassitto*, an plusne *Ellis* — **4** neruis *L. Havet* (n'uis? *an cf. illud* ne *in* 3?) : suus *N^1V* (suis *primum legerat in V qui Leopoldo Hervieux apographum confecit*), eius *Iannelli* (*etiam* Suus ualuisset *Iannelli*), humeris *Cassitto*, stultus *A. Spengel p.* 725 — **6** stulte : *u.* 59,2 — **7** fortior v*V^2* : fortiter *V^1* — **8** arte *Halbertsma, Mnemosyne* 1878 *p.* 107 : forte v*V* fortem *Eyssenhardt* — **8-9** fortem si te d- Superasse qui esses inualidior uiribus *A. Spengel p.* 725 fortem si te d- Minus sup-... *uel* si te d- minus Fortem sup-... *uel* furto si te d- Illum sup-... *Ellis* — **9** quam tu *add. L. Havet ante* qui (*ante* uiribus *Studemund teste Riese*) : talem *Dressler* — Astu *Cassitto ante* Superasse — qui esset melior : qui fuisset melior *Iannelli* m- qui esset *Bothe** melior qui fuisset *L. Mueller*

117 QVOMODO INGENIA SEPE CALAMITATE INTERCIDANT *Perottus* — **2** et *add. Iannelli* ac *Cassitto* — cordas *V* — **3** tacte *V* — est *add. L. Havet* : sed *add. L. Mueller* — mercules *L. Mueller* (§ 92) — **4** ego ait *L. Havet* (*u.* § 22) : ait *N^1V* inquit *Iannelli* addit *A. Spengel p.* 725 mihi ait *Bothe** — quia *N^1V* : *an* quod? *cf.* 56.6 — **5** repperisset (§ 84) : reperisset v*V*

118. *Vidua et miles.*

A.,XIII

P*ost* aliquot annos qu*a*edam dilectum uirum
Amisit et sarcophago corpus condidit;
A*bs* quo reuelli nullo cum posset modo
Et in sepulchro lugens uitam degeret,
Claram asseq*u*ta est famam cast*o* ui*duuio*.
Interea fanum qui compilarant Iouis
Cruci suffixi luerunt poenas numini.
Horum reliquias nequis posset tollere,
Custodes dantur milites cadauerum
Monumentum iuxta mulier quo se incluserat.
Aliquando sitiens unus de custodibus
Aquam rogauit media nocte ancillulam,
Quae forte dominae tunc assistebat suae,
Dormitum eunt*em* ; nam *illa* lucubrauerat
Et usque in serum uigilias p*ro*duxerat.
Paullum reclusis foribus miles prospicit
Videtque egr*egi*am* facie pulchra feminam.
Corr*e*ptus animus i*l*ico succenditur,
*O*riturque sensim *ut* impo*t*entis cupiditas,

118 : § 167 — *Romulus III* IX — *cf. Petron.* 111 *de matrona Ephesia* (*rem narrat Eumolpus ut sua memoria factam*); *Iohannes Sarisber. Policrat.* VIII 11 (*ex Flauiano*) — QVANTA SIT INCONSTANTIA ET LIBIDO MVLIERVM *Perottus* (*cf.* 114) — **1** Post *L. Mueller, De Ph. et Auiani fabulis p.* 30 : Per (§ 66) — a.iquot .nnos N^1 (*restit. Iannelli*) — quedam *V* — **2** .misit N^1 (Amisit *Iannelli*) — **3** Abs quo *L. Havet* : quo N^1, A quo *V*, *Iannelli; cf.* 9,10 — ..uelli N^1 (reuelli *Iannelli*) — quum v — **4** sepulcro v sepurchro V^1 — lugens uitam v (*cf. L. Mueller p.* 110) : uitam lugens V^2 u- degens V^1 — **5** : *cf.* 113,3 — assequta *L. Havet* : assequuta v assecuta *V* — casto uiduuio (§ 156; *uel* -i -i) *L. Havet* : caste (-tae v) uirginis v*V*, *Riese*, c- mulieris *L. Mueller* — **6** : *cf.* 88,1-2 — **13** adsistebat v — **14** euntem *L. Havet* : eunti v*V*, *quod explicari nequit, cum se matrona in monumento* incluserit (10); *etiam ex* 25 *perspicuum fit solere uiduam sine ancilla ibi remanere* — illa *L. Havet* : ut *V*, que v (*ex N*?); *sequitur* luc- — **15** uigilias *v* : uigilans *V* — produxerat *Bothe** : perduxerat v*V* — **16** Paullum v : Paululum V^h — **17** egregiam *Riese* (egregiam et *Buecheler teste Riese*) : egram⁷et *V* aegram sed *Iannelli* et aegram et *L. Mueller, De re metrica p.* 424 thecam et *A. Spengel p.* 725; *cf.* 62,3 insignem pulchra facie filium (*secundum Harii emendationem*) — **18** Correptus *L. Mueller ibid.* 425 : Corruptus v*V* — illico v*V* — **19** Oritur (§ 97) *Froehlich* : Vritur N^1V Et uritur *inter alia Iannelli* (*deleto* sensim) — sensuum *Froehlich* sensus *L. Mueller in ed.* — ut *add. L. Havet* — inpotentis *L. Mueller in ed.* : impudentis *V* — impud... cupid.. N^1 improbus cupidine *Cassitto* impotens cupidine *L. Mueller, De re m.*

A.,XIII

So*l*lers acumen mille causas inuenit,
Per quas uidere possit ui*du*am saepius.
*C*otidiana capta consuetudine
Paulatim facta est aduen*ae* summissior;
Mox ar*t*ior *d*euinxit animum copula.
Hic dum consumit noctes custos diligens,
Des*i*deratum est corpus ex una cruce.
Turbatus miles factum exponit mulieri.
At sancta *uidua* : « Non est quod timeas » ait;
Virique corpus tradit figendum cruci,
Ne subeat ille poenas negl*e*gentiae.
Sic turpitudo laudis obsedit locum.

119. *Virgo et proci duo.*

Vnam expetebant uirginem iuuenes duo; A.,XIV
* *
* *
* *
* *

20 Sollers v : Solers *V* — ..ussas *N*[1] causas *V* « *ut semper* » (caussas *Iannelli*) — ...it *N*[1] (inuenit *Iannelli*) — **21** possit v : posset *V* — uiduam *Dressler* : uiam *N teste Mai*, *V*, ..am *N*[1], illam *Iannelli*, eam *Mai* — saep... *N*[1] (saepius *Iannelli*) — **22** Quotidiana v*V* — Quae quot- c- *uel* Quot- c- haec *Iannelli* — **23** Paullatim v — adu... *N*[1] aduene *V* (aduenae *Iannelli*) — **24** artior deuinxit *Bursian*, *Jahrb. f. cl. Philol.* 85 (1862) *p.* 860 : arctiore uinxit v*V* — ..imum ..pula *N*[1] (animum copula *Iannelli*) — **25** custos *V*, *Iannelli* : miles v (*an ex N? cf.* 27) — **26** desyderatum *V* — cr... *N*[1] (cruce *Iannelli*) — **27** mul... *N*[1] (mulieri *Iannelli*) — **28** sancta uidua *L. Havet ut* sanctam uxorem 54,30 : sancta mulier v*V*[2] (mulier sancta *V*[1]), *illi* mulieri *iusto propius* — tim... *N*[1] (timeas ait *Burman*, *Iannelli*) — **29** corpus v : corporis *V* — **30** neglígentiae v*V*

119 : § 167 — FORTVNAM INTERDVM PRAETER SPEM ATQVE EXPECTATIONEM HOMINIBVS FAVERE *Perottus* — *promythium Luciani Mueller p.* 98 Fortuna interdum contra ac speratumst cadit (*possis* hominibus praeter spem fauet; *u. ad* 54,58 *et* §§ 38, 52; *sic in uersus exitu Seneca* propter quod patrem *Phoen.* 336, infra me stetit *Med.* 520, propter me sacro *HO.* 1298) — **1** Vnam v*V*, *Cassitto* : Vna v — expetebant *Iannelli* (expeteb... *N*[1]) : expectabant *V* — uir...em iuuenes *N*[1] (uirginem *Iannelli*) : uirgines *V*[b] — *post* **1** *lacunam significauit Machly; restituit ille* Deformi diues, pulchro pauper corpore, *sed etiam indicari debuit diuitem fuisse inferiorem* genere (*sic perstringit Phaeder in fabula* 28 *libertos ditissimos* triuio conceptos); *praeterea exspectes aliquid de pauperis* quaestu (*u.* 12) *ex* hortulis (*u.* 5) *et de ipso asello; atque multo narratio expeditior, si dictum erat degere pauperem extra urbis portam* (*u.* 12) *ad uiam hanc uel illam*

Vicit locuples genus et formam pauperis. A., XIV
Vt nuptiarum dictus aduenit dies,
Amans dolorem quia non poterat perpeti,
M*a*erens propinquos contulit se in *h*ortulos,
Quos ultra paulo uilla spon*si* diuitis
Erat acceptura uirginem e matris sinu,
Parum ampla in urbe uisa quod fuerat domus.
Pompa explicatur, turba concurrit frequens,
Et coniugalem pr*ae*f*er*t Hymen*a*eus facem.
Asellus autem, qui solebat pauperi
Qu*a*estum *horti* ferre, stabat port*a*e in limine.
Illum puell*a*e casu conducunt su*i*,
Viae labores teneros ne l*a*edant pedes.
Repente caelum Veneris misericordia
Ventis mouetur, intonat mundi fragor
Noctemque densis horridam nimbis par*i*t :
Lux rapitur oculis et simul uis grandinis
Effusa trepidos passim comites dissipat,
Sibi quemque cogens petere praesidium fuga.
Asellus notum proxim*e* tectum subit
Et uoce magna sese uenisse indicat.
Procurrunt pueri, pulchram aspiciunt uirginem
Et admirantur; *ta*nde*m* domino nuntiant.

2 locuples : locuples et *Iannelli* — pauperis vV^2 corperis V^1 — aduenit dies : *cf.* 17,7 — **5** Merens *V* — se in : § 41 — ortulos *V; sic* ortulis *P* 82,34 (*sed* hortutos 82,26) — **6** paullo v — sponsi diuitis *L. Havet* : splendidi diuitis N^1V (*ortum puto ex* sponsididiuitis), splendida diuitis *Burman*, *Iannelli*, ditis splendida *Bothe**; *quod Latine dici uix crediderim, nam* splendida luxu *fieri potest domus, per se* splendida *non est nisi propter marmor uel citreas in foribus fascias*; diues splendidi *Ellis* — **7** ec *L. Mueller* — **8** in urbe : *id est ut uid.* ἐν ἄστει, *Athenis* (*cf. ad* 32) — quae V^h — **10** praefert *Burman*, *Cassitto* : praebet v prebet *V* — hymeneus *V* — **12** Questum *V* — horti *add. L. Havet* — ferre N^1V : referre *Iannelli* deferre *Cassitto* — porte *V* — **13** puelle *V* — sui *Eyssenhardt* (1867) : suae vV — **14** ledant *V* — **16** mouet V^h — **17** parit *L. Mueller* : parat vV — **18** rapitur V^h — **19** E.fusa ..ep.d.s ... d.s..p.. N^1 (Effusa trepidos *et* dissipat *Iannelli*) — **20** pet.r. praesi.iu. fug.. N^1 (petere praesidium fugae *uel* fuga *Iannelli*) — **21** proxime *Cassitto recte* (*aliter enim* 41,3) : proximum *V*, *Iannelli*, p..xim.. N^1; *u.* 68,5 — tectum subit *V*, *Iannelli* : ... s.b.. N^1 — **22** uenisse indicat *V* : ueni... em... N^1 (uenisse *Burman*, indicat *Iannelli*) — **23** p..c..am N^1 (pulchram *Iannelli*) — aspiciunt *V* adspiciunt *Cassitto* : ...ffi... N^1 affirmant *Iannelli* — uirginem *in N legi nequit* (*restit. Iannelli*) — **24** tandem *L. Havet* : deinde *V*, *Iannelli*, ...de N^1

Inter sodales ille paucos accubans A.,xiv
Amorem crebris auocabat poculis.
Vbi nun*t*iatum est, recreatus gaudiis
Hortante Bacc*h*o et Venere dulcis perficit
Aequalitatis inter plausus nuptias.
Qu*a*erunt parentes per pr*a*econem filiam;
Nouus maritus coniuge amissa dolet.
Quid esset actum postquam populo innotuit,
Omnes fauorem conprobarunt caelitum.

120. *Aesopus et domina.*

Aesopus turpi cum seruiret feminae, A.,xv
Quae se expingendo totum *t*rica*re*t diem,
Veste*m* uniones, aurum argentum su*m*eret,
Nec inueniret digito qui se tangeret :
« Licetne paucis ? » inquit. « Dicas. » « Censeo,
Quiduis efficies, cultum si deposueris... »
« Adeone per me uideor tibi *uen*us*t*ula ? »
« Immo *aes* n*i* dederis, sponda cessa*b*it tua. »
« At non cessabunt latera » respondit « tua »,
Et obiurgari iussit *f*eru*lis* garrulum.

25 adcubans v — **26** amouebat *Machly; cf. Senec. ad Polyb.* xvii 36 « *luctum suum intempestiuis* auocare *lusibus* »; *ad Marc.* ii 4 « *ne* auocari *quidem se passa est* » — **27** nunciatum *V* — recreatis *V* — gaud... N^{1} (*ubi potius* -iis *quam* -io) — **28** bacco *V* — dulcis *V*, *quod ad* nuptias *referendum* : dulces v — proficit V^{b} perf... N^{1} (perficit *Iannelli*) — **29** Aequalitatis plausus *coniungit Iannelli recte*; § 170 — **30** Querunt *V* — preconem *V* — **32-33** : *cf.* 75,31-33; *ex eodem fonte Graeco esse adductas conicias fabulas* 75 *et* 119 — **32** *an* notuit? *cf.* 100,35 — **33** comprobarent V^{b}

120 QVAM NOCEAT SAEPE VERVM DICERE *Perottus* — **1** foeminae V^{b} — **2** expingendo N^{1} : expungendo V^{b} — totam...domum *Cassitto* — tricaret *L. Mueller* (*cf.* 50,9; § 156) : intricabat $N^{1}V$ intricaret *Beck p.* 224 — **3** Vestem *d'Orville, Iannelli* : Vestes $N^{1}V$, *cf.* Vestem uniones 82,36 — summeret *V* (*cf.* 70,12) sum... *N* (sumeret *d'Orville, Iannelli*) — **4** *cf. Martial.* i 73,1 « Nullus *in urbe fuit tota* qui tangere uellet *Vxorem* gratis, *Caeciliane, tuam* » — **6** efficcies V^{b} — *interrumpitur a domina Aesopi sermo* — **7** uideor tibi per me *L. Mueller* (*sic collocatum in uersu* per te 54,58) — uenustula *L. Havet* : meliuscula v*V* (§ 80), mellitula *A. Spengel p.* 726 — **8** Imo v — aes *add. L. Havet* (§ 87), *cf. Martial.* vii 75, xi 62 — ni *L. Mueller, quem uide p.* 110 : nisi v*V* (§ 34) — « *fortasse* » Immo ista nisi des *L. Mueller* — **9** cessabit *Burman, Iannelli* : cessauit $N^{1}V$ — respondet *Cassitto* — **10** uerberari *A. Spengel p.* 726 — ferulis *Bothe** (*cf.* flagris 16 *et* ferulis obiurgari *Suet. Gaius* 20; flagris, ferulis, colaphis uapulantem *Senec. Apocoloc.* 15; *inter apophoreta* ferulae *Martial.* xiv 80) : seruum v*V* ferula *L. Mueller*

Paullo post tollit* *fur* armillam argenteam. A.,xv
Quam *iam* non apparere ut dictum est mulieri,
Furore ad* *se* omnis plena uocat, *et* uerbera
Proponit grauia uerum si non dixerint.
« Aliis minare ; me » *inquit « non falles » σοφος ;
« Flagris sum *ca*esus, uerum quia dixi modo. »

121. *Gallus et feles lecticarii.*

Feles habebat gallus lectic*a*ri*o*s. A.,xvi
Quem glorios*um* uulpes ut uidit uehi,
Sic est locuta : « Moneo pr*a*ecaueas dolum ;
Istorum uultus namque si cons*i*der*e*s,
Pr*a*edam portare iudices, non sarcinam. »
* *

11 Post paullo *Orelli* — Paullo v*V*[m] : Paulo *V*[b] — tollit fur armillam *L. Havet* : armillam tollit v*V* arm- tollit is *Cassitto* arm- tollit fur *Orelli* arm- tollit quidam *L. Mueller* (tollunt *Iannelli*) ; fur *malo quam* quidam, *quod uix dici posse puto de eo qui in fabula non recurrat; cf. fab.* 124, *in qua post* quidam *u.* 2 *legitur* scelesta furis manus, *neque quicquam Phaedro magis cordi est quam proprium et capitale in illum* quendam *odium* — Arm- tollit (= *sumit*) paullo post *Iannelli*, Arm- is t- p- p- *Bothe*' — **12** Quam : Eam *Iannelli* — iam *add. L. Havet* — est ut dictum *L. Mueller, Rh. Mus.* xxx (1875) *p.* 619 ; § 8 — **13** F..ore *N*[1] (Furore *Iannelli*) — ad se omnis plena uocat et *L. Havet* : plena uocat omnis (omnis *V*[b] .m.es *N*[1] omnes *Iannelli*) ad *N*[1]*V* pl- uocat omnes et *Cassitto teste Orelli; de* ad se § 38 — Omnes furore...uocat et *L. Mueller* (uocat omnes ac *Cassitto*) — uerb... *N*[1] (uerbera *Iannelli*) — F- pl- uocat ad se omnes, uerbera *Ellis* — **13-14** uocat Aesopum et uerbera... dixerit *A. Spengel p.* 726 — **14** Proponit *Iannelli* : Preponit *V* Pro..nit *N*[1] — gr... ...um *N*[1] (grauia uerum *Iannelli*) — *inter* **14** *et* **15** *lacunam statuit L. Mueller* — **15** me inquit *A. Spengel p.* 726 : inquit me *V*, .nq... me *N*[1] (inquit *Iannelli*), nam me *Riese* — falles *V*, *Orelli* : fallis v — σοφος *L. Havet* (*u. ad.* 58,9) : certe *N*[1]*V* (*u. p.* 277), quidem *Iannelli*, ait *Cassitto*, era *Orelli* — me quidem (certe *olim*) haud falles, ait *L. Mueller*; me non falles, ait, hera *Maehly*; me equidem non falles, ait *Ellis* — **16** cesus *V*

121 NIMIAM SECVRITATEM SEPE IN PERICVLVM HOMINES DVCERE *Perottus* — **1** feles : *u.* 37,2 — lecticarios *Burman, Iannelli* : lecticarius *N*[1]*V*; *etiam* lecticarias *Iannelli*, *sed cf.* Istorum 4 — **2** Quem *L. Havet* : Hunc v*V* (*nusquam Phaeder* hic *pro* is, *nisi uerbum praesenti tempore adhibetur*, *u.* 95,22 ; *itidem* Hic *pro* Qui *Perottus* 54,13, Hunc *pro* Tunc 93,3 ; *etiam u.* 80,3) — gloriosum (*uel* -se) *Iannelli* : gloriosa *N*[1]*V* gloriose *Burman; cf. Petron.* 78 « *ego* gloriosus *uolo* efferri, *ut totus mihi populus bene imprecetur* » — **3** precaueas *V* — **4** consideres : -eras v (consyd- *V*[m]) — **5** Predam *V* — *inter* **5** *et* **6** *lacunam significauit L. Mueller et p.* 97 *suppleuit; in parte amissa dici debuit quo pacto constituta esset* societas (*u.* 6), *cui ut illis supra sociis* (*fab.* 6) partes fierent

Postquam esurire societas* coepit fera, A.,XVI
Discerpsit dominum et fecit partes facinoris.

122. *Scrofa parturiens et lupus.*

(**122** : *cod. N imago, Herv., II² p. 88*)

*P*remente partu scro*f*a cum gemeret iacens, A.,XVII
Accurrit lupus et obstetricis partibus
Se posse fungi dixit, promittens opem.
Quae uero nosset pec*t*oris fraudem improbi,
Suspectum officium repudiauit malefici
Et : « Satis est » inquit « si recedis longius. »
Quodsi perfidiae se commisisset lupi,
Raptos dolo*s*e f*e*ta deflesset su*os*.

123. *Aesopus et seruus profugus.* A.,XVIII

Seruus profugiens dominum naturae asperae
[*A*esopo occurrit] notus e uicinia.
« Quid tu confusus ? » « Dicam tibi clare, pater
(Hoc namque es dignus appellari nomine),

6 societas coepit fera *L. Mueller* : coepit fera societas *N*¹*V* c- s- f- *Iannelli* (sero s- *Cassitto*) — **7** facinoris *suspectum* (*cf. Vanderbourg, Mém. de l'Ac. des inscr.* VIII *p.* 342) : facinore *Bothe*¹ ; sarcinae *Iulius Chauvin ; an* iocinoris, *ut cibi delicati ? — de dominis a seruis occisis Tac. Ann.* XIII 32 (*a.* 57), XIV 42 (*a.* 61)

122 : *anon. Wiss. IV* IV (*Hervieux, II² p.* 480), *Romulus II* IV — FACIENDVM PRIVS DE HOMINE PERICVLVM QVAM EIVS TE COMMITTAS (COMMENDES *V*¹) FIDEI *Perottus* — **11** Premente *Rom., Iannelli* : praeuente *Wiss.*, Tremente *NV*, *Rom. breuiatus* (*Hervieux², II p.* 253), *Rom. Vindob.* 901 (*ib. p.* 463), Sumente *Rom. Vindob.* 303 (*ib. p.* 428) — scropha *NV* (scrofa v) — cum *N* (quum v) — **2** Lupus qui accurrit *Nauck* — **4** Quae : Quia *Burman* Cum *Riese in praef.* — nosset : quum nosset *Iann.* (*cf.* 57,4) — Quae cum cognosset *Nauck* — pectoris (*uel* raptoris) *Orelli* : pecoris *NV* pecoris quum *Quicherat ; prius puto fuit* peccoris, *cf.* 82,38 — fraudes *Cassitto* — **5** officium *N* : officum *V*ᵐ officcium *V*ʰ — off- repudiauit : *cf.* 30,5-6 — malfici *L. Mueller* (§ 79) — **6** : *cf. Halm* 16 — recedis *NV* (recedas v) : recesseris *Wiss. Rom.* — **7** Quae *Quicherat* — *post* **7** obsecro ut des mihi honorem *Wiss.* obsecro da mihi honorem *Rom., tum* et tu olim matrem habuisti *Wiss.*² fuit etiam et tibi mater *Rom.* — **8** Raptos (*an* Rapi ?) dolose feta d- suos *L. Havet* : Pari dolore fata d- sua *NV* (*ultima Perottus ex* 124,9), Partus dolore fata conplesset sua *L. Mueller olim* (infelicissima periret *Wiss.* infelicissime pareret *Wiss.*² infelicissime peperisset *Rom.*) — Parens dolori *Bothe*¹ Priuata prole *Nauck* Impar dolori *Hartel*

123 NON ESSE MALO ADDENDVM MALVM *Perottus ; epimythium Luciani Mueller p.* 98 : Malo inconsulte non est addendum malum — **1-2** : 2 1 *Nauck* — **1** Seruum *V*ʰ — **2** Esopo *V* — Aes- occurrit : § 98 — ec *L. Mueller* — **4** *de interpungendi ratione cf. L. Mueller, De Ph. et Auiani fabulis p.* 31 — appe...ri nom... *N*¹ (appellari nomine *Iannelli*)

Tuto querela* quia apud te deponitur. A.,XVIII,5
Plag*ae* supersunt, desunt mihi cibaria ;
Subinde ad uillam mittor sine uiatico;
Dom*inus* si *praebet,* totis persto noctibus,
Siue est *u*ocatus, iac*e*o ad lucem in semita;
Emerui libertatem, canus seruio
(Vllius essem culpae mihi si conscius,
Aequo animo ferrem) ; numquam sum factus satur,
Et super infelix saeuum patior domin*i*um.
Has propter causas et quas longum est pro*mere*
Abire destinaui quo tulerint pedes. »
« Ergo » inquit « audi : cum mali n*i*l feceris,
Haec experiris, ut refers, incommoda ;
Quid si peccaris ? quae te passurum putas ? »
Tali consilio est a fuga deterritus.

124. *Halm 174. Equus abactus.* *Ex libro II ?* § 160.

Equum e*x* quadrig*a* multis palmis nobilem A.,XIX
Abegit quidam et in pistrinum uendidit.
Productus ad bibendum cum foret a molis,

5 querela quia...te *Iannelli* : quia...te querela N^1V; quia apud te (§§ 22, 38) *ita collocatum in uersu ut* quem per te 54,58 — **6** Plage *V* — desunt mihi *in N legi nequeunt* — cibaria : ...b.r.. N^1 — **7** u...m m... N^1 (uillam mittor *Iannelli*) — sine uiatico *in N legi nequeunt* — **8** coenat vV^h — to... N^1 (totis *Iannelli*) — ...sto N^1 (praesto *d'Orville*; persto *Burman*; persto *uel* adsto, praesto *Iannelli*) — **8** Dominus *Ludouicus Delaruelle* : Domi *Perottus* — praebet (ἐλλειπτικῶς) *L. Havet duce Delaruelle* : cenat *Perottus, quod cum* totis persto noctibus *non congruit* — **9** est uocatus *Burman, Iannelli* : estu (estu V^m aestu vV^r) uocatus — Si estum (*uel* estu, *quod supinum*) uocatur *Stowasser* — iaceo *Mai* : iacio *V*...o N^1 — sem... N^1 (semita *Iannelli*) — **10** *post* seruio *grauius interpungit Iannelli* 1811 (*non post* ferrem) — **12** A quo V^h Aeque *Quicherat* — ferrem v : fortem V^{mr} sortem V^h — **13** infoelix V^h — dominium *Orelli* : dominum *V* dom... N^1 (dominum *Iannelli* « *quod plane exploratum est* ») — saeuum dominum patior infelix super *Iannelli* — **14** caussas v — promere *Iannelli* : pro... N^1, *om. V*, proloqui *Stowasser* (prodere *uel* promere *Iannelli*, « *sed hoc potius ex uestigiis tenendum est* ») — **15** tulerunt V^h — *cf. Hor. Epod.* 16,21 Ire pedes quocumque ferent — **16** quum v — nil (§ 91) *Iannelli* : nihil N^1V — fec... N^1 (feceris *Iannelli*) — **18** quae te : te esse *Nauck*

124 FERENDVM ESSE EQVO ANIMO QVIDQVID ACCIDERIT *Perottus* — *epimythium Luciani Mueller p.* 98 : Aequo ferendumst animo quodcumque accidit, *fortasse contra mentem Phaedri* — **1** e *Burman, Iannelli*, ex *L. Havet* : et N^1V ec *L. Mueller* a *Stowasser* — quadriga *Burman, Iannelli* : quadrigam N^1V — **3-4** forte a molis...conspexet suos *A. Spengel p.* 727 (forte *Froehlich*)

In circum *ae*quales ire conspexit suos, A.,XIX
Vt grata ludis redderent certamina.
Lacr*i*mis obortis : « Ite felices » ait ;
« Celebrate sine me cursu so*l*lemnem diem ;
Ego quo scelesta furis a*bs*traxit manus,
Ibi sorte tristi fata deflebo mea. »

125. *Vrsus et cammari.*

Siquando in siluis urso desunt copiae, A.,XX
Scopulosum ad li*t*us currit et prendens petram
Pilosa crura sensim d*e*mittit uado ;
Quorum inter uillos simul haeserunt ca*mma*ri,
In terram a*b*ripiens excutit pr*a*edam ma*nu*
Escaque fruitur passim collecta uafer.
Ergo etiam stult*is* acuit ingenium fames.

126. *Coruus salutator.*

Quidam per agros deuium carpens iter A.,XXI
« Aue » exaudiuit et moratus paululum,

4 equales *V* — **5** laudis *Cassitto* — certam... N^1 (certamina *Iannelli*) — **6** Lachrymis V^m Lacrymis vV^h — ite : uiuite *Cassitto* — foelices V^h — **7** m. .ursu N^1 (me cursu *Iannelli*) — solemnem v*V* — **8** f...s N^1 (furis *Iannelli*) — fur *puto Seianus est, equus ipse Phaeder ab officio suo deiectus, exsul ut uidetur* (§ 158), *et per annos multos a Musarum cultu et a gloria prohibitus ; in Graeca uenditur* γέρων ἵππος *non a fure, uerum ab domino* — abstraxit *Bothe** : attraxit *V* .ttraxit N^1

125 FAMEM ACVERE ANIMANTIBVS INGENIVM *Perottus* — **2** littus vV^m lutus V^h ; *an intellegenda fluminis ripa ?* — prendens petram *V*, *Iannelli* : p̄ndens petr.. N^1 pendens petra *Burman*, *cf. L. Mueller p.* 110. — **3** demittit *Iannelli* : dimittit N^1V — **4** simul *om.* V^h — cammari *L. Havet* (*de qua uoce cogitauit Iannelli* ; « *crevettes* » *puto non* « *homards* », *siquidem marina sunt animalia*) : cancri N^1V canceres *Iannelli* — haeserunt cancri simul *uel* c- simul ac h- *Iannelli* c- simul adhaeserunt (*olim* ut haeserunt) *L. Mueller* (cancri *uel* canceres *si in textu posueris, intellegendi sunt, admonente uiro doctissimo De Lacaze-Duthiers, inter nostros* « *crabes* » *praecipue qui dicuntur* « *grapses côtiers* », *in mari Mediterraneo minime rari, quosque escae sponte adhaerentes pueri extrahere solent*) — **5** abripiens *Bothe** : arripiens v*V* — predam *V* — manu *Cassitto* : maris ; *Latine non dicitur* praeda maris ; *ne hoc quidem certum est, maritimum designari u.* 2 litus ; *ursi* manus *dicit Plin. H. n.* VIII 130, χεῖρας *Graeci quos laudat Thesaurus Stephanianus*, δεξιάν *Aelianus* VI 3 ; experrectus leo celeri manu miserum murem apprehendit *Adem.* XVIII (*cf. Wiss. II* XI, *Rom. I* XVII) — **6** que *om.* V^h — uafre *Iannelli* — *cf. Aelian.* περὶ ζώων VI 24 *de uulpibus in flumine demissa cauda pisciculos captantibus* : ἐλθοῦσαι δὲ ἐς τὰ ξηρὰ χωρία διασείουσι τὰς οὐρὰς, καὶ ἐκπίπτει τὰ ἰχθύδια, καὶ ἐκεῖναι δεῖπνον ἁβρότατον ἔχουσιν — **7** *om. V* — stultis *Iannelli* : stulto N^1

126 VERBIS SEPENVMERO HOMINES DECIPI SOLERE *Perottus* — **1** d.u... carpens ...r N^1 (deuium carpens iter *Iannelli*) — **2** *de* Aue *u.* § 32

Adesse ut uidit neminem, cepit gradum. A.,XXI
Iterum salutat idem ex occulto sonus.
Voce hospitali confirmatus restitit,
Vt quisquis esset par officium reciperet.
Cum circumspectans *aequor* h*a*esisset diu
Et perdidisset tempus aliquot milium,
Ostendit sese coruus et superuolans
« Aue » usque ingessit. Tum se lusum intell*e*gens
« At tibi *quidem* » inquit* « male sit, ales pessime,
Qui festinantis sic detinuisti pedes. »

127. *Halm 17. Cornu fractum.*

Pastor capellae cornu baculo fregerat; A.,XXII
Rogare c*o*epit ne se domino proderet.
« Quamuis indigne l*a*esa reticebo tamen;
Sed res clamabit ipsa quid deliqueris. »

128. *Serpens et lacerta.*

Serpens lacertam forte *a*uersam prenderat; A.,XXIII
Quam deuorare patula cum uellet gula,
Arripuit illa prope iacentem surculum,

3 cepit : citat *van d. Meys ap. Hartman p.* 123 celerat *L. Mueller*, *Berliner philol. Wochenschrift* 1890 *p.* 1304 — carpit uiam *Nauck ap. Hartman ib.* — gr... N^1 (gradum *Iannelli*) — **4** sonus *V*, *Cassitto* : sonat v — **5** co.f..matus rest... N^1 (confirmatus restitit *Iannelli*) — **6** officcium V^h — recip... N^1 (reciperet *Iannelli*) — **7** Quum v — aequor *L. Havet* : orrore *V*, errore v (§ 37), ore ita *L. Mueller*, *Rhein. Mus.* XXX (1875) *p.* 619, omnia *Hartman p.* 123, horrore *Stowasser* — hesisset *V* — **8** aliquot vV^2 : aliquos V^1 — mill... N^1 (millium *Iannelli*), illico *Cassitto* — **9** superuolans (§ 93) : *cf.* propteruolans 39,7 (*etiam uide* 134,1), stans super 28,8 — **10** intelligens v*V* — **11** quidem inquit *hic L. Havet pro* inquit, *quod habet* v *post* sit, *V post* pessime — male tibi *Iannelli* — malum *A. Spengel p.* 727 — **12** festinantes *Cassitto* — sic v : male *V* (*ex* 11) — *Martial.* III 95,1 : *Numquam dicis haue sed reddis, Naeuole, semper*, Quod prior et coruus saepe dicere solet; XIV 74 : corue salutator; *Macrob. Saturn.* II 4,29

127 NIHIL (NIL v) ITA OCCVLTVM ESSE QVOD NON REVELETVR *Perottus imitatus euang. Luc.* VIII 17 — **2** coepit v : cepit *V* — **3** *deest aut* inquit *aut* At illa, *ut excidisse uersum suspiceris; lacunam notat Riese* — lesa *V* — reticebo : *cf.* Reticuit *p.* 275 — **4** quod *Iannelli* 1811 — deliqueri' *V*

128 VBI LEONIS PELLIS DEFICIT VVLPINAM INSVENDAM ESSE, HOC EST VBI DEFICIVNT VIRES ASTV VTENDVM *Perottus*; *cf. Plutarch. Apophth. Lac. p.* 229B ἔλεγεν (*Lysander*), ὅπου μὴ ἐφικνεῖται τῇ λεοντῇ, προςραπτέον εἶναι τὴν ἀλωπεχῆν — **1** auersam *Hartman p.* 124 : aduersam *Perottus* — prenderat v : prenderit *V* — **2** quum v

Et pertinaci morsu transuersum tenens A.,XXIII
Auidum so*l*lerti rictum frenauit mora.
Pr*ae*dam dimisit ore serpens irritam.

129. *Cornix et ouis.*

Odiosa cornix super ouem consederat; A.,XXIV
Quam dorso cum tulisset inuita et diu:
« Hoc » inquit « si dentato fecisses cani,
Poenas dedisses. » Illa contra pessima:
« Despicio inermes, eadem cedo fortibus;
Scio quem lacessam, cui dolos*e* blandiar;
Ideo senectam mille in annos prorogo. »

130. *Socrates et seruus moechus.* (*Ex libro III?*)

Cum seruus nequam Socrati male diceret, A.,XXV
Vxorem domini qui corr*u*p*i*sset sui,
Idque ille sciret notum circumstantibus:
« Places tibi » inquit « quia cui non debes places;
Sed non impune, quia cui debes non places. »

4 tenens vV^2 : teneris V^1 — **5** solerti vV — **6** Praedam dimisit : *cf.* 103,6 — dimisit ore : *cf.* 5,6 — Predam V

129 : *Adem.* LV (*Hervieux, II² p.* 151), *Romulus IV* XXI — MVLTOS LACESSERE DEBILES ET CEDERE FORTIBVS *Perottus* — **1** Annosa *Nauck, Bulletin...de St-Pétersb.* XXV (1879) *p.* 113 — cornix v, *Adem. Rom.* : coniunx V — **2** Quae *Nauck ib.* — quum v — **3** Hoc V : I... N^1 Id *Iannelli; u.* 70,9; *cogitaueram de* Ita — ...it si... N^1 (inquit si dentato *ex uestigiis Iannelli*) — **4** illa contra p- : *cf.* 85,5 — pessima v : pessimam V — **5** *del. Nauck* — Despecio V^b — ..d.. N^1 (eadem *Iannelli*) — **6** q... lacessam ... N^1 (quem l- cui *Iannelli*) — dolose (§ 47) *Nauck* : dolosa vV ; « dolosa *iungendum cum* scio » *L. Mueller p.* 110; *cogitaueram de* dolo subblandiar — **7** senectam m... in annos N^1 : mihi s- in annos *Iannelli inter alia* — *epimythium* qui ab infimis sua innocentia iniuriantur *Adem.*, haec fabula in illos dicta est (*cf.* 2,14; 23,10...) qui infimis et eorum innocentiae iniuriantur *Rom.; unde restituere possis fere* In illos talis dicta est homines fabula Insultant infimorum qui innocentiae

130 NVLLVM MALEDICTVM ESSE GRAVIVS CONSCIENTIA *Perottus* — *epimythium Luciani Mueller p.* 98 : Nullum maledictum grauius conscientiast; *equidem* (§§ 40, 62) *scribo cum Dresslero* Maledictum nullum est grauius conscientia — **1-2** Cum s- n- qui c- sui Vx- d- S- m- *Nauck p.* 268 *adn.* — **1** nequam...diceret : n... s... n... N^1 — **2** qui : qu. N^1 — corrupisset *Iannelli* 1811 : corripuisset N (*teste Mai*), V, ...puisset N^1, constuprauisset *Cassitto* — **3** notum : ...m N^1 — **4** *corruptum indicat Draheim p.* 431 *propter accentus* — inq... N^1 (inquit *Iannelli*) — quia cui *in N legi nequeunt* — **5** qu.a N^1 (quia *Iannelli*) — cui *in N legi nequit* — *pronuntiandum* cuj : § 34 — *inducitur Socrates in lib. III* (*fab.* 53; *etiam u. ad* 52,16)

181. *Halm* 35. *Lupus et bubulcus*.

A.,XXVI

Cum*celeri *urgentem* pede *uirum* fugeret l*u*pus
Et a bubulco uisus ueprem irreperet :
« Per *te oro* superos perque spes omnes tuas
Ne me indices, bubulce; nihil umquam mali
Huic, *iu*ro, feci. » *A*t rusticus : « Ne tim*u*er*is* ;
Late securus. » Iamque uenator sequens :
« Qu*a*eso, bubulce, numquid huc uenit l*u*pus ? »
« Venit, sed abiit hac ad l*a*euam » ; et dexteram
Demostrat nutu partem. Venator citus
Non intellexit seque e conspectu abstulit.

181 : *Adem.* L (*Hervieux*, II^2 *p.* 149), *Romulus IV* III — MVLTOS VERBIS BLANDOS ESSE PECTORE INFIDELES *Perottus* — bilinguibus et qui habent blanda uerba et infidelis est [qui] peccat corde *Adem.*, qui habet blanda uerba infidelis peccator est ut haec fabula narrat *Rom.*, *unde Dressler* Qui uerbis blandus, pectore infidelis est... (*malim* infidelis pectore est) — **1** Cum *in N legi nequit* — celeri urgentem pede uirum *L. Havet* (*statuens omisso* uirum *immutatum esse participium et a Perotto et a paraphrasta*) : uenatorem celeri pede (§ 80) *V*, *Iannelli*,...torem celeri pede N^1, persecutorem *Adem.*, persecutorem...celeriter *Rom.*; celeri pede (*ut* 68,6 *et Senec. Phaedra* 902 ; *leonis* celeri manu *Adem.* XVIII, *Wiss. II* XI, *Rom. I* XVII) *de homine dictum, non de bestia ; sic Babr.* 60 κυνηγὸς ἐτρόχαζεν — Cum celeri fugeret pede uenatorem *L. Mueller* Cum uenatorem celeriter fugeret *idem in apparatu et p.* 410 Celeri cum f- p- uenatorem *Stowasser* — celeripes *Bothe*² ; *cf. L. Mueller p.* 403 *ad* 37,3 — lupus *ubique Adem. Rom.* (*hic* impius lupus *Rom.*), *Iannelli* : lepus N^1V *culpa fortasse Perotti, quem in errorem induxerint et* uenator 6, *et* uenator citus 9 *collato Horat. Carm.* I 37,18-19, *et* agro 5 ; *malae bestiae conuenit* nihil mali huic feci, *et in eam ueri similior perfidia est ; fabula Graeca* ἀλώπηξ καὶ δρυτόμος (*Latine dici nequit* δρυτόμος); *alio argumento, quamuis uicino*, ἀλώπηξ καὶ ποιμήν ; *optime e latibulo exire dicitur uulpes* σεσηρὸς αἰκάλλουσα) — ..reperet N^1 (irreperet *Iannelli*) — **3** te oro *add. A. Spengel p.* 727 *hic uel post* perque (oro *post* superos *add. Iannelli* ; oro per omnes spes tuas *Adem.* oro te per o- sp- t- *Rom.*) — **4** Ne v, *Adem. Rom.* : Non *V* — indices : innues *Adem.* tradas *Rom.* — nil *L. Mueller* — **4-5** nihil...feci : cui (*pastori*) non se facere iurat malum *Adem.*, cui (*uenatori*) nihil me fecisse iuro *Rom.* ; *Graece nihil tale, sed eodem prorsus loco, ap. Babrium* 50, ὁ δ' οὐ προδώσειν ὤμνυ' (ἀλώπεκα δρυτόμος), *ut non desit iurandi uerbum* — **5** iuro *L. Havet ex Adem. Rom.* : agro v*V* (§ 82), *quod perinde suspectum siue lupum* (*aut leporem*) *respicias siue* bubulcum — at (§ 44) *Adem.*, *Burman teste L. Mueller* : et v*V*, *Rom. cf.* Et 2 — timueris *Iannelli* : timeret N^1V timeas *Rom.* timeas ait *Burman* (ait ne time *Iannelli* ne time retro *Cassitto*) — **6** esto securus, ostendam aliam partem *Adem.*, esto securus, in aliam ei partem te fugisse dicam *Rom.* — **7** Queso *V* — lupus lepus N^1V — **8** hac : hinc *L. Mueller* — leuam *V* — dexteram (§ 90) v : dextram *V* (dextra *Adem.* dextera *Rom.*) — **9** Demostrat V^m : Demonstrat vV^b; demonstr- 59,19 *et* 110,16 — **10** «*fortasse*» ee *L. Mueller* (*u.* 3,17)

A.,XXVI

Tunc sic bubulcus: « Ecquid est gratum tibi
Quod te celaui ? » « Lingu*ae* prorsus non nego
Habere atque agere gratias* me maximas;
Verum oculis ut priueris opto perfidis. »

132. *Meretrix et iuuenis.* A.,XXVII

Cum blandiretur iuueni meretrix perfida,
Et ille l*ae*sus multis saepe iniuriis
Tamen pr*ae*beret sese facilem mulieri,
Sic insidiatrix : « Omnes muneribus licet
Contendant, ego te plurimi facio tamen. »
Iuuenis recordans quotiens deceptus foret :
« Libenter, » inquit « mea lux, hanc uocem audio,
Non quod fidelis, sed quod i*u*cunda e*s* mihi. »

133. *Halm 189. Feber siue castor.* A.,XXVIII

Canes effugere cum iam non possit feber
(Gr*ae*ci loquaces quem dixerunt Castorem,
Et indiderunt bestiae nomen dei
Illi qui iactant se uerborum copia),

11 ecquid est v : haec quid est *V* et quidem *Rom.* — **12** Qui *V*[h] — lingue *V* — **13** gratias me maximas *Froehlich* : me max- gr- *N*[1]*V* maximas me gr- *Iannelli* — **14** perfide *Cassitto*

132 : *anon. Wiss. IV* 1 (*Hervieux, II*[2] *p.* 179), *Romulus III* x — MVLTA ESSE IVCVNDA QVAE TAMEN SVNT INCOMMODA *Perottus* — **1** Quum v — **2** lesus *V* — multis saepe : *cf. ad* 49,1 — **3** T... ...et s.s. f... ...eri *N*[1] (Tamen praeberet sese facilem mulieri *Iannelli*) — preberet *V* — **4** S.. inf... licet *N*[1] (Sic *et* muneribus *Iannelli*) — **5** ...dant *N*[1] (Contendant *Iannelli*) — **6** deceptus v, *Wiss. Rom.*: direptus *V* — **7** Lubenter v — ...ux *N*[1] (mea lux *Iannelli*) — hanc : *u.* 70,9 — **8** iocunda *V*[m] iucunda *V*[h]); *cf.* 114,2— es *Rom., Iannelli* : est *N*[1]*V* sis *Wiss.; cf.* § 53

133 MVLTI VIVERENT SI SALVTIS GRATIA PARVI FACERENT FORTVNAS *Perottus* (MVLTI TVTI *Buechcler teste Riese, cf. u.* 11) — **1** Canes v : Eanes *V* — quum v — possit v*V* : potis est *Burman teste L. Mueller* — feber *V* (fiber v) *cf.* febros *Vergil. schol. Bern. G.* I 59; « fiber » *Varro* V 79 *ducit a* febro « *extremo* »; *uocalem e tuentur Sanscritice* babhrus, *Lithuanice* bébrus, *Slauice* bebrŭ, *Celtice* Bebr-iacum (*Herr, Revue de philol.* 1893 *p.* 211), *unde Latine* beber *et Gallice* bièvre, *Anglo-sax.* beofor *et Anglice* beaver, *Batauice* bever; *nec contra facit Theotisce* bibar *pro* *bebru, *immutata uocali propter* u *insequens, ut fit in* swigar (= socrus), widar « *aries* » (= *Anglo-sax.* wedher, *Goth.* withrus), *et in multis aliis, quod me docuit uir in his rebus peritissimus V. Henry* — **2** Greci *V* — **4** Illi : .i *N*[1] — iactant se *V* : se iactant v se iactant de *Iannelli* iactant se de *Cassitto* — copiam *V*[h]

Abripere morsu fertur testiculos sibi, A.,XXVIII,5
Quia propter illos sentiat se*se* peti.
Diuina quod ratione fieri non negem;
Venator namque simul inuenit remedium,
Omittit ipsum persequi et *re*uocat canes.
Hoc si praestare possent homines ut su*o*
Vellent carere, tuti posthac uiuerent;
Haud quisquam insidias nudo faceret corpori.

134. *Papilio et uespa.*

A.,XXIX

Papilio uespa*e* pr*o*p*t*eruol*it*ant*i* *in*uide*ns* :
« O sortem iniquam! dum uiuebant corpora
Quorum ex reliquiis animam nos acc*e*pimus,
Ego *e*loquens in pace, fortis proeliis,
Arte omni princeps inter *ae*qualis fui;
En *cass*a leuitas putris et uolito cinis.
Tu qui fuisti mulus clitellarius,
Quemcunque uisum est l*ae*dis infixo aculeo. »

5 fertur v : ferunt *V* — *de re cf. Plin. Hist. nat.* VIII 109, XXXII 26, *Aelian.* περὶ ζώων VI 34 — **6** sese *Iannelli* : se $N^{i}V$ (§ 54; *uoluit Perottus uersum* 12 *syllabarum, p.* 286-287) — **7** fieri quod ratione *Cassitto* — negem v (*cf.* consentio 108,22) · negent *V* neges *L. Mueller* (*cf.* 54,7) — **9** reuocat *Froehlich, L. Mueller, De re metr. p.* 414 : uocat $N^{i}V$ (*uoluit Perottus uersum* 12 *syll.*) — **10** Haec V^{h} — suo v : sui V^{h} (*etiam teste Mai*) — **11** carere tuti *Iannelli* : careret, uti $N^{i}V$

134 NON PRAETERITAM SED PRESENTEM ASPICIENDAM ESSE FORTVNAM *Perottus* — **1** uespae *et* uolitanti inuidens *L. Havet* : uespam *et* uolantem uiderat *V*, uespam *et* ...ui... N^{i} — propter *L. Mueller* (*cf.* 39,7) : preter *V* pr... N^{i} (praeter *Iannelli*); § 93 — praeuolantem *Stowasser* — uolitans *Orelli* uolitantem *Iannelli* — uidens *Iannelli* : ui... N^{i} uiderat *V* — **2** iniquam *in N legi nequit* (*restit. Iannelli*) — d... m. ba.. t...s N^{i} — **3** « *puto* » ee *L. Mueller, u.* 3,17 — re... ...m. .os a... N^{i} (reliquiis animam nos accepimus *Iannelli*) — accepimus *Iannelli*, V^{h} *quamquam parum distincte* : accipimus V^{m} a... N^{i} — **4** eloquens *Iannelli* : loquens $N^{i}V$ — p... N^{i} (pace *Iannelli*) — plūs *V* — **5** inter aequalis : ...qualis N^{i} inter equales *V* — **6** cassa *L. Havet* : cuncta v*V* (En cuncta! *interiectiue L. Mueller*) — uol... ...is N^{i} (uolito cinis *Iannelli*) — **7** Tu vV^{2} : O tu V^{1} — quae *Iannelli* 1811 — mulus : *Plin. H. n.* XI 70 *de apibus* « *amissas reparari uentribus bubulis recentibus cum fimo obrutis, Vergilius iuuencorum corpore exanimato, sicut* equorum uespas *atque crabrones, sicut asinorum scarabaeos* » ; *Seru. Aen.* I 435 « *proprie tamen apes uocantur ortae de bubus, fuci de equis, crabrones* de mulis, uespae *de asinis* »; *Aelian.* περὶ ζώων I 28 « ἵππος ἐρριμμένος σφηκῶν γένεσίς ἐστιν· ὁ μὲν γὰρ ὑποσήπεται, ἐκ δὲ τοῦ μυελοῦ ἐκπέτονται οἱ θῆρες οὗτοι » — **8** Quemcumque V^{h} — ledis *V* — fixo *Cassitto* — acu... N^{i} (aculeo *Iannelli*)

At uespa dignam *me*mori*a* uocem edi*d*it : A.,xxix
« Non qui fuerimus, sed qui nunc simus uide. »

135. *Terraneola et uulpes.*

Auis quam dicunt terraneolam rustici, A.,xxx
In terra nidum quia componit scilicet,
Forte oc*cu*currit improbae uulpecul*ae*;
Qua uisa pennis altius se sustulit.
« Salue » inquit illa; « cur me fugisti, obsecro,
Quasi non abunde sit mihi in prato cibus,
Grilli, scarab*a*ei, l*u*custarum copia ?
Nihil est quod metuas; ego te multum diligo
Propter quietos mores et uitam probam. »
Respondit : « *Nos*tra tu quidem bene pr*a*edicas;
Quin sequere : tibi * salutem committo meam. 12
Non su*eui* in campo pa*sci*, sed s*u*su*m* *uol*o. » 11

9 At *Siebelis* : Et v*V* — memoria *Halbertsma*, *Mnemosyne* 1878 *p.* 107 : moribus v*V*; *an* memoriae? *cf.* 71,3 *et* 77,19 — edidit *Iannelli* : edulit *V* edi... N^1 extulit *L. Mueller* — **10** : *cf.* 103,9 — quid f- V^h — simus v : sumus *V* — ..de N^1 (uide *Iannelli*)

135 PRAVIS NON ESSE FIDEM ADHIBENDAM *Perottus* — **1** Auis v : Qnis *V* — terraneolam N^1 : terantulam V^{mh}, *etiam teste Mai* — **3** occucurrit *Burman*, *Iannelli* (§ 98) : occurrit N^1V — Occurrit forte *Quicherat* — uulpecule *V*; *cf.* 86,10 — **4** pennis v*V* : pinnis *L. Mueller* — **7** scurabei *V* — lucustarum *L. Havet*: locustarum ; *recte Phaeder et Corippus* II 196 lūcusta, *ut Iuuenalis* I 71 *et Turnus apud eius commentatorem* Lūcusta; *male* lŏc- *Quicherat ex poetis aeui infimi* — **8** Nihil *in N legi nequit* : Non *Iannelli* Nil *L. Mueller* — m..uas N^1 (metuas *Iannelli*) — ego *V*, *Bothe'* : rogo v — ...um N^1 (multum *Iannelli*) — **9** quietos *V* : .s..tos N^1 — **10** Respondit nostra *L. Havet* : Respondit contra; *abundat aut* contra (*cf.* 93,6 *et* 120,9; *praeterea* 2,11; 41,17; 50,4; 98,16; 114,6) *aut* respondit (*cf.* 3,28; 85,5; 103,7; 129,1) — t. N^1 (tu *Iannelli*) — quidem *V*, *Iannelli*, ..idem N^1 : fidem *Bothe'* — bene quidem *Cassitto* — predicas *V* — **12-11** *L. Havet* — **11** s... ...p..p...tibi N^1 (sum *Iannelli*) — sueui...pasci *L. Havet* : sum...par tibi *V* (§ 31) — In c- non sum par tibi *Dressler* — susum uolo *L. Havet* : sum sub dio N^1V^m (diuo V^h), subuolo *Cassitto*; *prius fuit puto* susum bolo — Quia non sum in campo (*olim* In campo non sum) sed sub dio par tibi (§ 52) *L. Mueller*, Par non sum in campo sed sum sub dio tibi *A. Spengel p.* 727 — **12** sequere tibi salutem *L. Mueller* : sequere salutem tibi *V testibus Mai*, V^h, *d'Orville* (*de V tacet L. Mueller*), sequ..et... tibi N^1

DISQVISITIONVM CRITICARVM

PARS PRIOR

DE RE METRICA

IN PHAEDRI SENARIIS

In textu poetae constituendo nihil constantius utile est quam cognitio legum metricarum. Nam in toto opere non uersus est, non uox, non uocis syllaba ulla quin per eas probari debeat, uelut in aerario quemcumque aureum arcarius accipit, statim imponit staterae. Quare priorem disquisitionum mearum partem rei metricae attribui. In altera parte examinabuntur quaestiones de fabularum ordine et de temporibus, per se sane grauiores, sed ad quas respicere non cogimur omni tempore et omni puncto temporis.

§ **1**. — Aesopias fabulas Phaeder Ennii lector (76,33), comicorum et ut uidetur (§ 156) Publilii Syri imitator, *poliuit* ut ipse ait *uersibus senariis*, qui sunt generis iambici. Casu euenit ut uersus 82,21, cuius syllaba paenultima anceps est, possit efferri et ut senarius iambicus et ut hexameter dactylicus.

Simillimi sunt ii *senarii* sic proprie dicti *trimetris* aequaeui poetae L. Annaei Senecae. Sane in trimetro oportet semipedes tertium et septimum constare ex syllabis breuibus singulis,

in senario saepe constant ex longis singulis aut breuibus binis. Sed hanc differentiam si sustuleris, fere nihil inter utrumque uersum supererit discriminis. Nos ergo cum in Phaedri libello, propter exemplorum paucitatem, difficile saepe esset diiudicare quid ab re metrica liceret quid non, comparatione continua instituta adhibuimus uersus Annaeanos uelut subsidium studii locupletissimum[1]. Sunt enim Senecae in tragoediis genuinis nouem et Apocolocyntosi trimetri 7883, Phaedri senarii tantummodo 1945 (at $1945 \times 4 = 7780$); sic igitur fit numerus uersuum examinatorum plus quam quincuplex.

Non solum quaesiuimus quae uersuum formae in codicibus Phaedri traditae essent, sed etiam quae iure possent aut in locis corruptis restitui aut ex paraphrasi fabularum deperditarum, ubi tot adhuc delitescunt senariorum frustula, in diem elici. Quare arguemur fortasse temeritatis; quae tamen temeritas eo nos deduxit, ut in locis compluribus fieremus aliis cautiores et lectiones codicum tutaremur. — Id etiam, quod nonnumquam ad rationes arithmeticas descendimus, neque exempla tantummodo computauimus, uerum etiam quas nunc uocant mathematici « probabilitates », uereor ne aliquos offendat. Anne tu in operibus mentis humanae aggrederis metiri probabilitatis decimas partes? Sane ita est, neque causa est cur diffitear, neque me paenitet, si uerum hic et illic probabilitas mea recuperauit, quod pessumdederat certitudo aliena.

§ 2. — Disceptationem nostram ita instituimus ut semipedes plerumque, non integri pedes examinarentur. Non enim pedes, uerum semipedes sunt in uersibus pangendis uelut elementa; atque sicut legere docentur pueri litteras, postea demum syllabas, ita in re metrica decet pedum partes primum habere exploratas, postea demum, sicubi necesse erit, earum partium iuncturam. Multae sunt leges quae ad solos semipedes spectent. Velut in his uersibus, *Nouis-st-me indignata*...

1. Vti solemus numeris Friderici Leo (Berolini, 1879).

(25,9) et *Obsis-tĕ-re homines..* (59,20), breuem esse conuenit semipedem tertium, nec quidquam refert sequaturne syllaba longa et pes fiat iambus, an sequantur breues geminae et pes fiat tribrachys. In his autem, *...uer-si-bus senariis* (1,2), *...tugu-rĭ-o deponeret* (20,4), per se debet esse breuis semipes septimus, siue praeit longa siue duae breues.

Vbi autem considerantur semipedes bini, coniungi in disquisitione metrica debent partes modo unius pedis, modo duorum pedum. Velut inquirendum est nobis utrum seruari possint necne breues bis binae deinceps positae in *...con-sĭlĭo hŏmĭ--nibus* (106,10), quae « pedem » efficiunt proceleusmaticum ; sed idem inquirendum est de breuibus bis binis in *...nĭsĭ mĕlĭores...* (43,6), ex quibus priores sunt « pedis » pars dactyli, posteriores « pedis » pars anapaesti. Eas nos quaestiones facillime potuimus comprehendere sub uno titulo (*De concursu semipedum bibreuium*), uix potuisset cui mentem obscurasset et sermonem impedisset sollemnis illa et fere inutilis pedum notio.

§ **3**. — Constant Phaedri senarii ex semipedibus duodenis. Fit semipes duodecimus ex una syllaba qualilibet (⏓), undecimus ex una breui (⏑). — Ex ceteris semipedibus fieri potest unusquisque ex longis singulis uel breuibus binis (⏖). Praeterea possunt, qui sunt impares, fieri ex breuibus singulis (⏑).

De caesura.

§ **4**. — Inciditur omnis uersus, ut fit apud Senecam, aut post semipedem quintum aut post septimum aut post utrumque :

1,2 Hanc ego poliui — uersibus senariis.
2,9 Repulsus ille — ueritatis uiribus.

1,6 Quod arbores loquantur, — non tantum ferae.
2,5 Qur, inquit, turbulentam — fecisti mihi.

3,11 Clamore magno — regem — petiere ab Ioue.

§ **5**. — Dubium uidetur (§ 38) utrum admittenda sit caesura post praepositionem an post substantiuum uel pronomen in

75,24 Humanam *supra formam*, cuidam seruolo.
87,3 Alienis *ante pectus* suspendit grauem.
11,6 Tunc iudex *inter illos* (uel, *inter partes*) sedit simius.

Ceterum nos uersum 11,6 aliter constituerimus libentes. Talia leguntur apud Senecam Tro. 940, Oed. 63, Thy. 740, 1019. Qui Phoen. 145 uidetur collocare caesuram inter *ultra* et *Tartarum est*. Cf. § 8 et § 13.

§ **6**. — *De elisione in caesura.* — Potest fieri semipes quintus ex *atque* eliso :

74,9 Laboro nihil *atque* optimis rebus fruor.
108,20 Tunc falsa imago *atque* operis furtiui labor.

Quam uocem Terentius uel in exitu uersus elidere non ueretur (Ad. 217, 375, 465).

§ **7**. — Praeterea fieri potest ex uoce semipedum duorum, quae elidatur ante alteram uocem semipedum duorum cum ea arte cohaerentem, ita ut agnoscenda sit caesura semiseptenaria :

75,4 Simonides *idem ille* — de quo rettuli.
3,23 Inutilis *quoniam esset* — qui fuerat datus.

Quibus exemplis tutari possumus coniecturam Bothii :

2,12 Pater hercle tuus, [*ille*] *inquit*, — male dixit mihi.

Similiter Seneca Tantum potest *quantum odit*... (Thy. 484), Veniam dabit *sibi ipse*... (HF. 1267 ; cf. HO. 899), Vbi membra sunt, *ubi illa*... (HO. 1343 ; cf. HF. 1149), Vbi natus est ? *ubi Hector*... ? (Tro. 571), In quibus recte uoces cohaerent.

§ **8**. — Alia condicione non fit elisio post semipedem quintum ; id est, in caesura semiquinaria numquam eliditur. Quare noluimus scribere 90,1 *Vtilius nihil* esse *homini*..

(pro *est*), uel in corrupto loco 110,6 *Ostendit hominum* esse *infinitas miserias*, uel 120,12 *Quam non* apparere *ut*... Neque admisisset Phaeder quod posuit Lucianus Mueller in fabula sua p. 94 : *Cui telum : Me* quidem *unus*... Ceterum etiam a caesura semiseptenaria excluditur elisio ; nam 82,22 agnoscenda est caesura non semiseptenaria, post syllabam elisam *-am*, uerum semiquinaria, post syllabam elidendam *-nem* (§ 9). Caesura igitur et elisio sunt res inter se apud Phaedrum inimicae, praeter quod ad uoculam *atque* attinet.

Liberius Seneca, sed locis paucissimis : *Captiua* Pergama *et diu*... (Ag. 206); *Eripere*, rectique *in pedes*... (Phaedra 1084) ; *Pietas uetat*, namque *istud ut possim pati* (Med. 545, qui locus num prorsus sanus est ?) ; in hephthemimere *Vtinam quidem* rescindere *has*... (Phoen. 226), *Et siquid ultra* Tartarum *est*... (Phoen. 145, ubi fortasse post praepositionem collocanda caesura est ; § 5). — HF. 634-635 (*Mactetur* hostis, *hanc ferat uirtus notam Fiatque summus* hostis *Alcidae Lycus*) corrigi non debebat prior uox *hostis* in *hostia*, sed pro altera reponenda erat uox quae ad laborem uel gloriam pertineret, uelut *Fiat triumphus summus*, *Fiatque summa laurea*, fortasse *Fiatque summus testis Alcidae Lycus*.

§ 9. — Tribus in locis collocatur caesura semiseptenaria uel semiquinaria post syllabam elidendam :

59,6 Nouissime *prolapsam* effundit sarcinam.
100,19 Ipso *ludorum* ostenderet sese die.
82,22 *Lauationem* argenteam, eunuchos, glabros.

Quibus addenda puto tria exempla :

54,11 Seductus in *secretum* a liberto est suo.
9,1 Qui pretium *meriti* ab inprobis desiderat.
15,8 Miscere *antidoto* [in] illius se toxicum.

Caue autem similem caesuram semiseptenariam admittas cum codice *R* in 35,1 : *A feminis utcumque exspoliari uiros*.

§ **10**. — *De uocula bibreui.* — Neque semipes septimus (infra § 34) neque quintus umquam constat ex uocula bibreui. Deperdito codici *R* peculiaris esset, si quod non credo esset reuera a Vincentio tradita, lectio corrupta

43,14 Illius porro *ĕgŏ* semita....

Corruptum item est in *PR* :

75,22 Repente cum *dŭŏ* iuuenes sparsi puluere;

in Perottino enim codice certum est lectum esse meliore ordine *duo cum*.

Vides reiciendam esse Bentleii coniecturam 2,12 *Pater hercle* [*tum*] *tŭŭs inquit*... Atque in Appendice Perottina seruari non debet :

114,12 Licet horreum *mĭhĭ* pateat, ego scalpam tamen.

Ideo dictus est Seneca anapaesti tertii parum amicus, quod eandem regulam sequitur atque Phaeder. Ibi uterque semipedem quintum bibreuem esse sinit, ubi de caesura semiquinaria cogitare non licet :

27,7 Quae uulpem cum *rĕuŏcasset*, — intrito cibo. (Cf. 28,4; 51,10; 86,9; 94,9; 133,7. Seneca HF. 332 et passim.)

13,1 Laudatis *utĭlĭora* — quae contemseris. (Cf. 11,10; 16,8; 27,5).
3,23 Inutilis *quŏnĭam* esset — qui fuerat datus.
88,3 Onustus qui *săcrĭ-legio* — qum discederet.
} Sic Seneca nusquam.

§ **11**. — *De uocula monosyllaba*. — In uersibus qui solam caesuram habent semiseptenariam fieri non potest semipes septimus ex coniunctione monosyllaba nisi praeeunte syllaba elisa :

120,12 Quam [iam] non *apparere ut* — dictum est mulieri.

31,7 [Statio esto] *separata* ac* — diuersum genus.

52,12 Amplexus ille *utrumque et* — carpens oscula.
79,12 Inuoluit se *farina et* — obscuro loco.
82,5 At alteram *lanificam et* — frugi rusticam.

Itidem fit saepe, in uersibus qui caesuram habent semiquinariam, semipes quintus :

46,6 Misere *panem ut* — sustineret spiritum.
88,6 Mihi [us]que *inuisa, ut* — non offendar subripi.

63,7 Coepit *redire*; [*at*] — quidam [ex] turba garrulus.
131,5 Huic, [iuro,] *feci. At* — rusticus: Ne tim[ueris].

26,2 Et perdunt *operam et* — deridentur turpiter.
37,11 Terrore [*o*]*ffuso et* — perturbatis sensibus.
82,24 Boues, *iumenta et* — instrumentum rusticum.
82,26 Domum *politam et* — delicatos hortulos.
113,2 Fracte *loquendo et* — ambulando molliter.
124,2 Abegit *quidam et* — in pistrinum uendidit.
38,10 Prospectat *Siculum et* — [de]spicit Tuscum mare.
107,2 *Illiberali et* — sordido receperant.
49,7 Inpinge *lapidem et* — dignum accipies praemium.
113,5 Cum ueste et *auro et* — magno argenti pondere.

Cf. quae de interpunctione dicuntur infra § 14. Sicubi forte introducitur coniunctio monosyllaba sine elisione, praeit uocula unius semipedis :

122,2 Accurrit *lupus, et* — obstetricis partibus.

Igitur in uersu corrupto 82,38 *Agros utiles et pecora*... reponi potest pro *utiles* uox quae elisionem patiatur, ex. gr. *uillamque* uel quod scripsimus *buuile*, non uero uox qualis est *boues*.

§ **12**. — Omnino, ubi caesura admitti aut debet aut potest semiquinaria, nequit constare semipes quintus ex uocula monosyllaba, non praeeunte syllaba elisa, nisi praeit altera uocula unius semipedis :

21,6 Periere, *quam quod* — petierant contingerent.
32,11 Vir natus *quod rem* — feminarum tetigerit.
34,13 Adiecit *id quod* — sentiebat maxime.
81,3 Hinc orta *lis est*; — sonipes iratus fero.

34,4 Cassandrae *quia non* — creditum, ruit Ilium.
72,18 Antiqua *fuit urbs*, — quam petierunt naufragi.

Talia non habet Phaeder qualia sunt apud Senecam HF. 939

Monstrum, meum sit; *sed quid hoc...*, Tro. 334 *Quod non* uetat lex, *hoc uetat fieri pudor*, Phoen. 104 *Meae* penes me est; *regna...*, 158 *Totus* nocens sum; *qua uoles mortem exige*, Thy. 39 *Quam sibi* nihil sit..., etc., uel quale posuit L. Mueller p. 93 in fabula sua: *Omnes* simul qui *sectabantur...* Respiciendum est hoc in corrigendo uersu 76,11 *Et hoc minus ueniet...* Semiseptenaria est caesura in his uersibus:

82,40 Vt moribus *quid* (§ 13) teneat — alienum suis.
134,4 Ego [e]loquens *in* pace, — fortis proeliis.
114,12 Licet horreum *m[i]* pateat, — ego scalpam tamen.
72,2 Simonides, *qui* scripsit — egregium melos.
72,20 Simonidis *qui* saepe — uersus legerat.
72,26 Simonides *ut* uidit: — Dixi, inquit, mea.
72,13 Simonide, *tu ex* opibus — n[i]l sumis tuis?
98,1 Demetrius, *qui* dictus — est Phalereus.

§ **13**. — *De separandis quibusdam uocibus*. — De praepositione cum substantiuo u. § 5. In uersu modo laudato separatur per caesuram *est* ab *dictus*. Eadem ratione alibi legimus

54,59 Haec *exsecutus* — *sum* propterea pluribus.
55,3 Damnum *insectatus* — *est* amissi corporis.

Ergo nihil impedit quominus admittatur caesura semiquinaria in *Nec illam expertus esses contumeliam* (4,15).

Eodem modo separantur a uoce praecedenti *quoque* et, siquidem recte textum restitui, *quis* encliticum (ut 82,40 *quid*, § 12):

21,2 Sed ad *perniciem* — *quoque* mortalis deuocat.
68,36 Nouum [ut] *uenire* — [*quis*] uidet culum olfacit.

De interpunctione.

§ **14**. — Incipiunt omnia epimythia una cum nouo uersu, praeter in fabulis 41 et 73. Vna cum uersu desinunt omnia promythia.

Saepe interpungitur aut in fine uersus aut in caesura siue semiquinaria siue septenaria:

2,1 Ad riuum eundem lupus et agnus uenerant
Siti *conpulsi*. — Superior stabat lupus
Longeque inferior *agnus*. — Tunc fauce improba
Latro incitatus iurgii causam *intulit*.
« Qur » inquit...

Quae sollemnis interpunctio aliquando retrahitur, sed ita ut praeeat syllaba elidenda, sequatur uocula monosyllaba (cf. § 11):

88,6 Mihi [us]que *inuisa*, — *ut* non offendar subripi.
63,9 « Hominem » inquit « *quaero* » ; — *et* abiit festinans domum.
51,19 Luce ut *quiescam*, — *et* uigilem nox cum uenerit.
49,7 Inpinge *lapidem*, — *et* dignum accipies praemium.
27,4 Prior *inuitasse*, — *et* [leui] liquidam in marmore.
30,10 Repressit *iram*, — *et* : Facilis uindicta est mihi.

Coniunctio *at* ubi nouam personam introducit, semper aut semipedem primum efficit (14,9; 16,7; 22,10; 41,8; 46,17; 73,3; 82,43; 108,19; 134,9) aut praeeunte elisione semipedem quintum :

17,3 Ouem rogabat ceruus modium tritici
Lupo *sponsore*. *At* illa praemetuens dolum.
26,7 Noli *uereri*. *At* ille : Facere[m] mehercule.

Seruauit Ademarus *at* (habet Perottus *et*) in

131,5 Huic, iuro, *feci*. *At* rusticus : Ne timueris.

Similiter restituendum est *at* pro *et* (cf. etiam 46,17) in

63,7 Coepit *redire*. [*At*] quidam ex turba garrulus.

Perraro admittitur in medio hemistichio interpunctio grauior :

82,10 « Ni data possideant aut *fruantur* » ; tum « simul
Habere res desierint... » (u. § 61)
59,9 « Tamen illa est potior quae te *peperit*. » « Non ita est. »
?75,23 Sudore multo *diffluentes*, corpora
Humanam supra formam...

3,25 Corripere coepit *singulas*; frustra necem Fugitant...
49,6 Venit ecce, diues et *potens*; huic similiter Inpinge...
82,14 Iuris peritos *consulit*; nemo expedit Quo pacto...

54,20 *Subsedit*; deinde noctu subito ianuam Intrauit...

Insolita interpunctione significatur nisi fallor oratio interrupta (cf. *Licetne paucis* 120,5) :

113,20 Et uoce molli : « *Licet...* ? » Enimuero eiici.

Neque persaepe intra hemistichium collocatur interpunctio leuis :

26,4 A corcodillis ne *rapiantur*, traditum est.

131,8 « Venit, sed abiit hac ad *laeuam* » : et dexteram.

43,33 Linoque Apollo sit *parens*, Musa Orpheo.
92,15 Qui re secunda fortis *est*, dubia fugax.
59,20 Obsistere homines [*dogmatis*], meritis capi.
?94,12 Paucis temeritas [est *bono*,] multis malo.
121,5 Praedam portare *iudices*, non sarcinam.
12,11 Qui postquam caede fessus *est*, asinum euocat
68,36 Nouum [ut] uenire [quis] *uidet*, culum olfacit
54,4 Cassandrae quia non *creditum*, ruit Ilium.
20,10 « Par » inquit « esse *potueris*, cedam loco. »
14,10 [Lato ore] emisit *caseum*, quem celeriter.
35,9 Caluus repente factus *est*; nam funditus.
?120,13 Furore [ad se omnis plena *uocat*,] et uerbera

82,22 Lauationem *argenteam*, eunuchos, glabros.

16,10 Cui *seruiam*, clitellas qum portem meas.
72,2 *Simonides*, qui scripsit egregium melos.
98,1 *Demetrius*, qui dictus est Phalereus.

9,2 Bis *peccat*, primum quoniam indignos adiuuat.
?15,6 Rex *urbis*, eius experiendi gratia.
72,11 Hi *zonas*, illi res pretiosas colligunt.
75,19 *Promisit*, rediit hora dicta, recubuit.
59,11 Age *porro* : parere si uoluisset feminam.
102,4 « Tace » *inquit* ; « ante hoc noui quam [tu] natus es »
135,12 Quin *sequere* : [tibi salutem] committo meam.
54,21 *Intrauit*, recta cubiculum [interius] petens.
60,4 *Faciebat*, solitae uictum in tenebris quaerere.
10,6 Dum *loquitur*, ipsum accipiter necopinum rapit.
100,26 *In*[*son*]*uit*, cuius haec fuit sententia.
30,8 Tibi me *esse*, certe simile est hoc rostro tuo.
132,5 *Contendant*, ego te plurimi facio tamen.
23,5 Gratum *esset*, [et] dedissem ueniam supplici.

28,4 *Inuenit*, et uiolarat quia Manes deos.
100,8 *Necopi*[*nus*, et] sinistram fregit tibiam.
47,12 Quid *multa* ? uariis dissident sententiis.

37,23 Quid *multa* ? inedia sunt consumti cum suis.
95,35 *Imitatum*, et [capite] rusticum trudi[t] foras.

83,3 *Fugerent*, et artos circum trepidarent cauos.

Interpunctiones non adnumerauimus quales sunt « uos *quoque*, o *ciues*, ait » (3,30), « *Tum*, quia plus ualeo, me sequetur tertia » (6,9), « *Ita*, si... » (33,12), « At *illa* : Memini quis... » (46,17). Quae adcommodatae sunt consuetudini nostrae, non uero pronuntiationi ueterum.

§ **15**. —

79,5 Non semper ea sunt quae uidentur despici
Frons prima multos ; rara mens intellegit...

Ingeniosissime reposuit Petrus Pithou :

79,5 Non semper ea sunt quae *uidentur* ; [decipit]
Frons prima multos....

Sed restant suspecta, neque in textu coniecturali arridet interpunctio insolentissima. Itaque Pithoei *decipit* comprobauimus, sed ita ut collocaremus in uersu proprio, fere sic :

79,5 Non semper ea sunt quae uidentur *d*[*i*]*spici* ;
[Vt saepe in uita, sic in libris decipit]
Frons prima multos...

Damnant interpunctionis leges coniecturas quales [*Omne*] *insuetis* onus, *et coepissent queri* (3,8).

§ **16**. —

61,1 Olim quas uellent esse in tutela sua
Diui legerunt *arbores*. Quercus Ioui,
Et myrtos Veneri placuit...

Suspectum est *diui* pro *dii* positum. Quod cum corrigere conarer, intellexi posse sic interpunctionem fieri leuiorem :

61,1 Olim quas uellent esse in tutela sua
[Dii ut] legerunt *arbores*, quercus Ioui,
[A]t myrtos Veneri placuit...

Eodem modo durum est

100,28 In plausus consurrectum est. Iactat basia
Tibicen; gratulari fautores putat.

Vbi et mollior uocum structura et leuior fit interpunctio, si pro *putat* reponitur *putans*.

§ **17**. — Haud magis quam Phaeder Seneca temere interpungere solet. Sed dissimiles et aliquanto liberiores regulas sequitur; uelut saepe ponit interpunctionem grauiorem post semipedem tertium (HF. 52, 251, 277, 408, 426, 1030, 1281, 1317, Tro. 290, 476, 680, 924, 1066, 1134, Phoen. 10, 37, 38, 110, 190...), non ueretur interpungere post semipedem secundum (HF. 402, 914, 1208, Tro. 937, Phoen. 65...), aut post semipedem decimum (Phoen. 205, 234...) Neque per se exspectandum uidebatur ut eodem modo interpungeretur in dialogo scaenico, eodem in narrationibus.

De genere semipedum bibreuium.

§ **18**. — Vbi fit semipes ex breuibus binis (◡◡), breuium prior numquam est ultima uocis polysyllabae uel disyllabae. Excluduntur igitur semipedes quales ca-*pŭt ĭ*-ta, il-*lĕ tŭ*-os, cade-*rĕ tŭ*-os, medita-*rĭs ă*-uena. Falso traditur 72,8 na-*tŭs ŭt* -aiunt, pro ait; item falso 28,11 conce-*ptŭs ĕt* -educatus..., ubi uidetur *et* ex repetito *ed-* ortum. Versum 76,2 si recte constituimus, pronuntiandum est *essĕ tĭbĭ* cum pede tribreui, non *essĕ tĭbī* cum anapaesto. Disyllabum est *deinde* 9,3. Ne id quidem reperitur quod Seneca admisit Oed. 263 Quid-*quĭd ĕ*-go...

§ **19**. — Numquam fit semipes ex paenultima et ultima uocis polysyllabae. Excluduntur igitur semipedes quales ca-*dĕrĕ*, cre-*dĕrĕ*, oui-*lĭbŭs*, mulie-*rĭbŭs*.

Etiam in primo pede, casu incertum an proprio Phaedri consilio, non reperitur uox dactylica, quam eo loco quasi

priuilegio quodam admittunt ceteri, admisit Seneca uicies ter (HF. 995, 1163, Tro. 204, 808, 809, 1101, Phoen. 52, 283, Med. 447, 706, Phaedra 148, 697, 1077, Ag. 509, 660, 918, 993, Thy. 85, 486, 741, 891, HO. 273, 1263). Numquam recipitur apud Phaedrum uox qualis *crēdĕrĕ* ante consonantem, numquam uox qualis *crēdĕrĕt* ante uocalem uel *h*.

§ **20**. — Solos ergo solutos admittit Phaeder semipedes tales: *ĕgŏ*, *cădĕ*-re, *dĕdĕ*-ris, *dŭbĭ*-tatis, u-*tĭlĭ*-tatem, *ăuĭ*-ditas (5,5), a-*uĭdĭ*-tas (34,12; exempla u. § 65), *săcrĭ-lĕgĭ*-o (88,3), uel disiunctim *sĕd ŭt*, *quĭd ĕ*-nim, *ĭn ĕ*-undem, *măle ă*-it.

§ **21**. — Vno in loco fit semipes ex uoculis duabus integris:

115,10 Non ut labores facio *sed ut* istum domes.

Suspectum fuit hoc exemplum Luciano Mueller; sed quod uir doctissimus proposuit *sed uti stum*, id et Latinitas propter *stum* et Phaedri usus propter *uti* et res metrica ipsa propter pronomen demonstratiuum in decimo semipede (§ 55) monosyllabum respuit. Fit autem hic ex *sed ut* semipes octauus, ut apud Senecam Oed. 330 ex *sed in*, HO. 1441 ex *et ab*.

Vbi uoculam breuem uocula sequitur bibreuis, tribrachys fit trochaicus ◡◡,◡. Vbi autem sequuntur breues binae, quae partes sint uocis longioris, tribrachys fit iambicus ◡,◡◡ :

◡◡,◡ 10,5 Nota, inquit, illa est; *quid i-ta* cessarunt pedes? (Sic 18.2; etiam cf. 72,8 et 79,10.)

◡,◡◡ 63,10 Hoc si molestus ille *ad -ani*-mum rettulit. (Cf. 39,14.)

10,1 Sibi non cauere *et -ali*-is consilium dare. (Cf. 5,4; 31,4; 38,4; 38,24; 63,9; 82,4.)

10,3 Oppressum *ab -aqui*-la, fletus... (Cf. 23,1; 38,12; 74,14; 77,2; 102,1; 112,8; 131,8.)

33,2 *Nec -ali*-ud quicquam... (Cf. 77,6; 107,17; § 66.)

Trochaice Seneca *sed uter* Thy. 640, sed iambice *quid opus est* Tro. 899, quo exemplo posui apud Phaedrum iambice *et ubi sit* 50,9. Iambice Seneca *Quid anime* et similia in pede primo

(§ 68); in secundo pede *quod auidus* Thy. 1040 et similia Tro. 953, Phoen. 336, Med. 499, 555, Ag. 250, 301, HO. 264, 369, 547, 1255; sed trochaice post caesuram semiquinariam *sed animus* Oed. 766, *quod oculos* Thy. 415, *ubi Helena est* Ag. 795. Talia uidetur Phaeder uitauisse, quare scripsit 34,10 *homini ut*, non *ut homini*.

§ **22**. — Fiunt compluries semipedes octauus, sextus, quartus ex uocula cum uocis longioris initio :

34,5 Viator est deductus *in eundem* locum. (Cf. 63,5. 86,3.)
22,5 Aper fulmineis uenit *ad eum* (uel : *ad eum* uenit) dentibus.
10,5 Nota, inquit, illa est; *quid ita*... (Cf. 18,2; 43,22; 72,8.)
52,8 Accipiens, *quid enim*, cuncta... (Cf. 113,8; 79,10?)

Pro uocula monosyllaba inuenitur uocula bibreuis elisa in tribus locis coniectando correctis :

2,10 Ante hos sex menses [*male ait*] dixisti mihi.
123,5 Tuto [querela *quia apud* te] deponitur.
117,4 « Male cessit, [*ego*] » *ait* « artis quia sum nescius ».

Casu factum est ut numquam inter duas uoces diuideretur semipes secundus, utputa « Tu *quid ita* cessas... ».

§ **23**. — Ex semipedibus imparibus diuisi non reperiuntur quintus aut nonus, non tertius aut septimus, qui omnes raro soluuntur. Id casui tribuerim potius quam uoluntati poetae.

§ **24**. — Diuisus reperitur semipes primus in codicibus ter :

43,25 *Neque* (§ 90) *enim* notare singulos mens est mihi.
106,8 *Et adesset* homini sua tamen sollertia.
82,34 *Domum et* ornamenta cum uenustis hortulis.

Sed *domum et* pro pyrrhichio quo pacto tolerabit, qui animaduerterit talem pyrrhichium non inueniri apud dactylicos? Atque multo minus ferre possis 113,21 *Virum ut in re*... quae lectio ex coniectura pessima orta est. Quod autem attinet ad Perottinum *Et adesset*..., parum Latine adhiberi uidetur hic compositum pro simplici ; itaque uix dubium est quin

restitui debeat aut *Et* aut *At esset* (quod si per *d* scriptum fuit, *Ad esset*, coniunctionem non addere non poterat Perottus).

Igitur unum restat exemplum semipedis primi inter duas uoces diuisi, cumque nos in loco perdifficili 100,17 coniecissemus olim *Is ut incipiebat...*, alio confugere debuimus. Consilio enim abstinere solet Phaeder a similibus initiis, quae Senecam delectant: *Et opima* HF. 48 (cf. 236, 661, 978...), *Nec adulta* HF. 699 (cf. Tro. 609, Phaedra 108, 168), *Sed uterque* Tro. 1064 (cf. Phoen. 110, 383, Phaedra 119...), *Vt inultus* HF. 1187 (cf. HO. 548), *Quid agis* Tro. 686 (cf. Ag. 279, Thy. 221 et 322), *Vel Achillis* Tro. 940, *In utramque* Phoen. 461 (cf. Oed. 680), *Per inauspicatum* Oed. 1022, *Per ego auspicatos* Med. 285, *Fer opem* Phaedra 726 (cf. 948); -- *Nec in astra* HF. 66, *Nec ad omne* 247, *Sed et ille* 1341 (cf. Tro. 616? Thy. 784, HO. 963), *Et in alta* Phoen. 255, *Vt et hostem* Phoen. 370 (cf. HO. 1808?), *An et ipsa* Phoen. 577; — *Bene habet* HF. 1035 et Oed. 998, *Ego utrumque* Phoen. 449 et 489, *Male agis* Thy. 324, *Vbi enim* HO. 1821; -- *Vide ut animus* Tro. 945.

De genere elisionis et hiatus.

§ **25**. — Numquam admisit Phaeder hiatum post uocem non monosyllabam, quod fecisse putabant ueteres editores; sic exempli gratia 5,4; 50,9; 83,2; u. Gude ad I IV 4.

§ **26**. — Apud iambicos elidi potest syllaba longa ante breuem unicam, quod numquam fit apud dactylicos. Sic *meritī ăb inprobis* 9,1, *captī ăb hostibus* 83,8, *uerē ăd illos* 15,17, *egistī ĕt opera* 38,24, *laurī ĕt ipse* 111,5, *hominī ŭt accessum* 34,10; sic apud Senecam *uidī ĭnaccessa* HF. 606, *dextrā Achilli* Tro. 306, *uidī ĕt ostendi* HF. 613, *cultū ĕt* 764, *tacitō ĕt* Phaedra 362, *asportā ăb oculis* Ag. 301, *Aiacī Vlixes* 513, *gratarī ămico* 920... Nihil igitur ab elisione suspectum habent coniecturae *antidotō ĭn illius* 15,8, *aliī ĭd ipsum* 77,6.

§ **27**. — *De hiatu uoculae monosyllabae ante breuem.* — Apud multos poetas, sed in paucis plerumque locis, per hiatum fieri potest semipes ex uocula et syllaba breui. Sic *quĭ ămat* Plautus Merc. 20, *quĭ ămant* Terentius Andr. 191 et Vergilius Buc. VIII 108, *quăm hŏmo* Lucilius, *cŭm ŏdore* Lucretius II 681, *tĕ ĭn* Catullus LV 4, *nŭm ădest* Horatius S. II 2,28. Equidem uix dubito quin talem hiatum apud Phaedrum quoque recte restituerim, quamquam deest apud Senecam :

79,10 Mustela *cŭm ăn*[*u*]*s* e[x] senecta debilis.

Etiam proposui in adnotatione alteram eiusmodi lectionem :

113,21 Vt [*rĕ ĭn*] atroci Magnus stomachans imperat.

§ **28**. —

50,9 *Nam ubi* tricandum et..... scio.

Hic si eliditur *Nam*, corripitur necessario *ubi* (§ 64) neque stat metrum. Itaque pronuntiandum erit anapaestice *Năm ŭbī*, si seruabitur lectio codicum. Sed cum uox *Nam* uideatur sensui parum apta, pro ea reponendum censui *Satis*. — 61,2 postquam pro *Diui legerunt* correxeram *Dĭ ŭt elegerunt*, uisum est potius esse scribendum *Dii* uel *Dei ut legerunt* (de sensu cf. ex. gr. Senec. Tro. 497 « Miser occupet praesidia, securus *legat* »). — *Quĭ ŏnustus* voluit Riese 88,3. De *se in* 119,5 u. § 41.

§ **29**. — Ante breuem unicam numquam elidit Phaeder uoculam uere monosyllabam. Quod ex coniectura admisimus *siquo ăbire* 51,25, id regulae (si regula est) nullo modo contrarium haberi debet. — 113,21 (*Vt in re atroci...*, § 27) si seruatur lectio codicum, pronuntiandum est *ăt-roci* - - - prima syllaba producta, non *ă-troci* ◡ - - ; sic *ăt-rox* - - Seneca Tro. 289. Voculas uulgariores sine religione elidit ante breuem Seneca : *me ăb hac* Phoen. 6, *te ĭn infernas* 207, *tam ĭnextricabile* 133...

§ **30**. — *De elisione uoculae monosyllabae ante breues.* — Ante breues geminas suspecta non est illa elisio :

74,17 Nihil laboras? ideo *qum ŏpŭs* est nihil habes.
63,11 Sensit profecto *se hŏmĭnem* non uisum seni.
5,1 Amittit merito proprium *qui ălĭenum* adpetit.
41,18 Sed ille *qui ŏcŭlos* centum habet si uenerit.
28,2 Et *qui hŭmĭles* nati dici locupletes student.

Etiam 67,7 admisimus Heinsii coniecturam *se hĭlărĭtate*. Sic apud Vergilium *Nec sum ănĭmi*, *Nec me ădĕo*. Sic etiam apud Senecam Aut *si ălĭquod* Phoen. 413 (ubi sane traditur etiam *siquod*), Et *si ŏdĭa* seruas Phaedra 1121, Iam *iam ălĭquid* Oed. 28 (in quibus sane scribi possunt iunctim *Etsi*, *Iamiam*). Aliter Lucianus Mueller (De re metr. ed. II. p. 339), qui de poetis classicis agens elidi posse *sum* uel *qui* numeri singularis ait, *sim* autem uel *qui* numeri pluralis negat. Sed saepius eliduntur quae saepius usurpantur; quae autem saepius eliduntur, exemplis elisionis inter se dissimilioribus possunt illustrari. Nihil igitur demonstrat, quod in perlegendis poetis obseruauit uir doctissimus, nisi in his minutioribus rebus tribuendum esse casui nonnihil. Fac autem omnes locos, in quibus Latine alterutrum *qui* legitur, esse in unum congestos atque deferri ad uirum rationum arithmeticarum peritum ; fac eum uirum re probe perpensa annuere Muellero, aliam causam agnoscere quam casum, pro caeco atomorum ut ita dicam concursu ponere prudentem, uelut deorum, poetarum uoluntatem : quid inde ad Phaedrum ? Et apud deos sua cuique mens, ut in fab. 61, et apud poetas. *Qui humiles* non scripsit, scribere fortasse noluit Vergilius in hexametris ; at in senariis scribere potuit qui illa aetate genus uersuum uetus recoluit. Praesto erant exempla, ut apud Terentium *qui ădĕrant* Eun. 432.

Seruaui igitur, qualem librarii tradiderant, uersum illum optimum 28,2 ; neque seruaui modo, sed etiam in praefatione censui esse tenaciter defendendum. Eum enim cum praecedenti, ut ait Lucianus Mueller, « contra Bentleii suspitionem

qui tutaretur nondum extitit[1] ». Leuissimus fuit in hoc Bentley, cuius dicta in editione refutaui ; neque magis audierim Muellerum in elisione rariore offendentem. Versum composuit interpolator, esto : at callebat ille interpolator artem metricam, ab regula tamen discessit quam non apud Valerium Flaccum, ne apud Auienum quidem, uix apud unum et alterum poetam Christianum uult Mueller uiolatam confiteri. Quid nos lucraturi sumus, ubi ab homine certo, quem nouimus esse in uersibus pangendis usum arte quadam propria et singulari, ad interpolatorem nescioquem transtulerimus siue culpam siue rectius dixerim crimen ? Bentley et Mueller dum Phaedri textum nimis sedulo purgant, fabulam truncant fortasse non pulcherrimam, sed qua uix alia clarius ostendit Phaedri animum. Hanc poeta fabulam non ab Aesopo mutuatus est, sed nisi fallor ipse « repperit », ut fabulam de fure et lucerna[2]; in hac euomuit quidquid bilis solebant intra praecordia concitare diuitiae furciferorum repentinae ; in hac se quamuis in argumento subabsurdo eloquentem praebuit. Cauendum ergo est summopere, ne propter calumniam metricam restinguamus sincerum et gratum iracundiae ardorem. Atque ex loco maxime genuino ditandi sunt libri hoc saeculo conscripti, si forte supplemento egent, non uero, quibus poematis aetas et barbaries pepercit, ea spolianda sunt atque mutilanda, quo aptius cum nostris congruere cogantur opiniunculis et ratiunculis.

§ **31**. — *De elisione in iambicis*. — Post semipedem breuem eliditur satis raro uocalis longa ; ut mihi persuasum est, non quo refugerint poetae id elisionis genus, sed quia in iambicis longum post breuem semipedem plerumque expedit seruari. Ita elidit Phaeder uocem aut monosyllabam aut creticam :

1. De re metr. ed. 1. p. 427. Abest hic locus, ut uidetur, ab editione altera.

2. Id quoque proprium inuentum redolet, quod promythium duplex est, uelut in fabula de fure epimythium triplex ; cf. duplex fabulae 54 epimythium. Duplex etiam Herculis responsum de Pluto 89,7-8 factum est ; simplex idem in fabula Graeca. — Petitus est ille mirus *uulturius* (28,8) ex alia fabula Graeca (Halm 239), in qua similiter λάρον alloquitur ἰχτῖνος.

41,18 Sed *illĕ qui* oculos centum habet si uenerit.
60,15 Vna bibamus. *Illă qu*[*a*] arebat siti.
11,5 Negabat *illă se* esse culpae [noxiam.]
120,15 Aliis *minarĕ*: [*me* inquit] non falles....
116,4 Valuisset [neruis]. *Illĕ*: *Ne* istud dixeris.

66,3 Quod dignitatem *femĭnae* aequassent suam.
133,9 Omittit ipsum *persĕqui* et [re]uocat canes.
68,5 Fimoque turpi *maxĭm*[*e*] explerent famem.

Sic Seneca, praeter alia loca complura, *Quocumque me ira* Ag. 142, *Non ipse si in* HO. 1385, *ipsa se in* Phoen. 84, *media se opponit* Phoen. 457, *parua me abscondat* Phoen. 593, *unde me ulcisci* Med. 124, *siste ne in* Oed. 1051, *esse qui inuisus* Phoen. 654, *redeo qui auexit* Med. 197, *fare quo excipias* Oed. 805, *nate quo auertis* Oed. 1011, *ora quae exoptas* Thy. 978, *uicta quae in* HO. 766; — *pertuli intrepide* HF. 417, *coniugi occurram* 429, *uulneri et* 485, *impii Oedipodae* 496, *Caucasi abruptum* 1209, *Cerbero ignotum* 1224, *aduoca astus* Tro. 613, *debui infans* Phoen. 33, *corripi igne* 563, *hispidae aures* Phaedra 1038, *feruido aliquis* Oed. 928; — praeterea *reliquiae auxilium* HO. 1829, *incognita igitur* Oed. 695, *accommoda ignes* HO. 1660.

§ **32**. — Elidi possunt etiam uoces iambicae. Probandi uim non habet exemplum *Famĕ est* 28,8, ubi scribi potest *Famest* (u. 27,1); neque tuto legas siue *bonŏ est* siue *bonost* 94,12. Atque in *Aue exaudiuit* et *Aue usque* 126,2 et 10 corripi potest *Aue* (Quintil. I 6,21; C.I.L. VI 22102). Ex coniectura nostra est *Dĭi ut legerunt* 61,2. Fidei denique habet parum locus

6,10 *Malŏ* adficietur siquis quartam tetigerit;

etenim et melius erus seruo quam pecudibus leo minitari solet *malum*, et posuit paraphrastes *male patietur*, et alibi legitur *male adficere*, ut uix a memet impetrauerim ne in textum reciperem emendationem ueterem *Malĕ*. Traditam igitur lectionem seruaui et nimis fortasse cautus fui, dum uideo et

in dactylicis Vergilii uersibus et in Senecae iambicis nihil obstare quominus elidantur *manū*, *meā*, *suō*.... Praeterea inueniebam apud ipsum Phaedrum duo exempla mihi certissima :

102,4 *Tacē*, inquit ; ante hoc noui quam [tu] natus es.
51,15 *Veni* ergo mecum ; dum procedunt aspicit.

Sed ecce utrumque suspectum erit, si audieris aut uirum summae confidentiae Carolum Lachmann aut uirum summae auctoritatis Lucianum Mueller. Ait enim Lachmann (ad Lucr. p. 196) communem poetarum tantum non omnium esse « regulam », ne post uocabulum iambicum in uocalem desinens syllaba acuta[1] ponatur, nisi cum hiatu, uelut *Hyla ómne sonaret*, *uale ínquit Iolla*... Cautius L. Mueller (De re metr. ed. II. p. 340) non pronuntiat esse « regulam », sed de facto tantum loquitur et pro affirmatione sententiam ponit negatiuam ; « nec uero » inquit « poterit probari » a classicis poetis uoces iambicas umquam in acuta syllaba esse elisas. Sane non poterit; nam, ne possit, conturbat Mueller modo textum poetarum (uelut apud Senecam pro *mea ípse* scribi iubet barbarismum *meapse*), modo legitimam uocalium prosodiam (uelut apud Phaedrum corripi uult *tacĕ*, *uenĭ*), modo ipsum quode agitur accentum (uelut uoci *hâc* sine auctore antiquo detrahit accentum circumflexum, quem Graece non amiserunt τῷ, τῇ, τοῖς, τοῦ, τῆς, τῶν ; etiam puto ἄτονον factum esset *inquit* ut φησι, *ergo* autem ut τοι uel νυν, nisi de *ergo* obstaret disertum Velii Longi p. 53 testimonium). Ex ipsis tamen uerbis perspicuum est uiro inter metricos primario suspectam fuisse Lachmanni regulam ; iure quidem, nam cum in uersibus pangendis nemo ueterum respicere solitus sit accentum, non Plautus uel Terentius, non Vergilius, Horatius, Ouidius, non Seneca, non ipse Commodianus, qui fieri potuit ut in sola uocum iambicarum elisione consueuerint accentuum meminisse ? Sed fraudi

1. Ex consuetudine doctorum Germanorum *acuta* dicitur hic de omni syllaba accentu praedita, siue acuto siue circumflexo. Quod admonendi erant siqui legentes recta citius intellegunt quam mendacia.

fuit Muellero Lachmanni fama apud ciues paene diuina. Oraculo credidit et adhuc credit aliquatenus uir egregius, toto animo et diu credet multitudo imperitorum. Nam pertinax est mortalium superstitio neque eradicatur ex pectore ui rationis. Ratio securiorem non faciet, siquis horret in conuiuio numerum animarum tredecim uel in itinere feriam hebdomadis sextam; ratio non cohibebit, siquis quaerit et amplectitur leges in re metrica non metricas. Vaticinium utinam adesset uaticinio contrarium, Γλάνιδος, ἀδελφοῦ τοῦ Βάκιδος γεραιτέρου!

Videndum tamen est ecquid in illa lege tonica insit boni. Nam quamquam ipse legislator excepit ex poetis Phaedrum, ex uocibus iambicis excepit Lucianus Mueller eas quae sunt modi imperatiui, nos excipiendo fieri securi non possumus. Tunc demum dormiemus in utramuis aurem, ubi compertum erit nihil esse quod exceptione egeat, atque regulam Lachmannianam non modo uideri per se iam primo aspectu absurdam et ridiculam, sed carere omni specie, omni fundamento, et esse ex festinatione et temeritate, ex decernendi, iubendi, audendi consuetudine ortam.

Nempe fugerat summum illum, praeclarissimum, in Germanica, Graeca, Latina poesi uersatissimum grammaticum, uocum Minoa uel Lycurgum iambicarum, nihil interesse inter iambicas uoces et pyrrhichias, neque ante accentum facilius reperiri solere *tuă* quam *meā*, quamquam exemplo apto neutra uox omnino caret. Cuius acies Lyncea detexerat, quod ad rem non pertinebat, in hiatu post uocem iambicam admitti acutam apud Vergilium bis, is non perspexit ducenties uel trecenties *egŏ*, *sată*, *locŭm* et similia eodem prorsus modo apud eundem poetam elisa esse quo elidebatur *manū* uel *genae*. Melius putidae de hiatu diligentiae pepercisset (in qua etiam caecuttiebat, nam nihil differt inter *ualē-uălĕ inquit Iolla* et *Pēlĭŏ Ossam*, nihil inter *Hylā-Hylă ómne* et *Insŭlaĕ Iónio*), de elisione incredibilem uitasset neglegentiam. Neque sine fructu impertiuisset partem horae quartam cogitationi; qui si tantulum rem secum agitasset, intellexisset id in uersu hexametro

fieri necessario, et debere fieri etiam inuitis poetis, quod poetarum uoluntate factum pronuntiabat.

At uide quaeso quam periculosum sit nimis esse doctum : exempla affert ex Seneca suae regulae contraria, nec regulam labefactari confitetur; rursus tamen munit ac firmat exemplis aliis... — Vnde petitis? inquies. — Sane non ex Rossico uel Iapanico poemate, sed non multum afuit; uulgari sermone conscriptos laudat uersus Petrarchae, neque tantummodo ibi fieri elisionem comprobat ante Italicam syllabam accentu priuatam, sed etiam saepe fieri hiatum ante omnis generis syllabas. In qua pagina, quo festiuius legenti os sublinatur, confunditur accentus Italicus cum Latino, quamquam ex testimoniis grammaticorum constat longe aliter Latinum fuisse pronuntiatum; simul confunditur idem iam confusus accentus Italicus cum Latina syllabarum productione. O miras Italici accentus atque diuersas et fortasse inter se inimicas uirtutes! compellimur similitudinem agnoscere modo inter Petrarchae *avvólge* et Vergilii *inuádunt*, modo inter Petrarchae *così alto* et Vergilii *uále inquit*. Qualis nux sub praestigiatoris acetabulo, talis accentus inter manus doctissimas; abit, redit, nec uola nec uestigium est; auis fit, aut lebes cum aqua et piscibus; plaudunt Germani pueri, plaudunt matres, Vniuersitatum dico professores; sed hic omnium primus decipitur Lachmann, et bona fide miracula ostentat multis hostiis procuranda, si crederemus.

Sed non credimus, nam ipsis rebus nihil inest portentosi. Quas ut inuestigemus, Petrarcham cum uenia lectoris relinquemus; auctores eligemus in dactylicis Vergilium, in lyricis Horatium, in iambicis Senecam.

Igitur Vergilius elidit in penthemimere uoces *nouă*, *tuă*, *ciē*, *iubē*, *famē*, *sequī*, *patī*, *humī*, *leuī*, *polī*, *uirī*, *cauī*, *solō*, *torō*, *forō*, *tholō*, *crocō*, *deō*, *manū*, *diū*, *sacrae*, *genae*, *Dahae*, sequentibus *et*, *aut*, *in primis*, *atqu*[*e*]. In trihemimere elidit *amă*, *ferē*, *uenī*, *querī*, *sequī*, *locī*, *iugō*, *dolō*, *piō*, *solō*, sequentibus *et*, *aut*, *id*. In hephthemimere elidit *uirī*, *deī*, *sitī*,

solō, *metū*, *ferae*, *comae*, *cauae*, sequentibus *et*, *ad*, *hunc*, *atqu*[*e*]. Praeterea elidit in penthemimere *aquā* ante *inuól-uens*, in trihemimere *tonā* ante *elóquio*, *cauō* ante *inuádunt*. Semper igitur illis quidem locis sequitur aut uocula monosyllaba aut *atque* elisum aut uox a syllaba graui incipiens. Hactenus recte Lachmann; sed si conatus esset fingere ipse uel unum uersum, qualem uitatum a Vergilio putat, uidisset se impediri legibus hexametri communibus, neque sic licere sibi incipere : Aere *cauō óra* sonat...; Obruit auster *aquā árma* uiri...; Obstupuit steteruntque *comae*, *hórruit* agmina... Qua causa ubi elidit Vergilius in penthemimere *meă*, *uadă*, *sinĕ* imperatiuum, *egŏ*, *modŏ*, *duŏ*, *rotam*, *uiam*, *moram*, *fugam*, *rosam*, *ducem*, *larem*, *gruem*, *grauem*, *famem*, *fidem*, *enim*, *parum*, *cibum*, *pirum*, *thymum*, *uirum*, *equum*, *tuum*, *gradum*, *iugum*, *locum*, *forum*, *domum*, *manum*, sequuntur *et*, *aut*, *ac*, *at*, *in*, *is*, *hoc*, *hunc*, *has*, *atqu*[*e*]; ubi elidit in trihemimere *locă*, *sată*, *tuă*, *iubă*, *moră*, *quoquĕ*, *nequĕ*, *darĕ*, *serĕ*, *petĕ*, *egŏ*, *modŏ*, *aquam*, *molam*, *rotam*, *uiam*, *traham*, *quidem*, *Iouem*, *ducem*, *pirum*, *humum*, *solum*, *locum*, *aprum*, *malum*, *domum*, *opum*, sequuntur *et*, *aut*, *ut*, *in*, *ad*, *a*, *haud*, *huic*, *haec*, *hoc*, *atqu*[*e*]; ubi elidit in hephthemimere *egŏ*, *fugam*, *uiam*, *gregem*, *solum*, *deum*, *globum*, *sonum*, sequuntur *et*, *hanc*, *atqu*[*e*]. Rursus posuit Vergilius cum elisione in penthemimere *uiam intérea*, *sacram effígiem*, *facem attóllens*, *locum insídiis*, *manum Aenéae*; in trihemimere *nouă ingréssus*, *moră ignáros*, *quoquĕ infésto*, *forĕ inlústrem*, *nequĕ insídiis* uel *obtúnsis*, *egŏ inuísum* uel *audéndi* uel *ingéntis*, *modŏ Aenéas*, *uiam inuénient*, *locum aériae*, *deum antíquam* uel *inférnam*, *humum exspírans*; in hephthemimere *aquă eluctábitur*, *neque exsaturábile*. Neque aliis legibus eliduntur uoces prosodiae ambiguae *uale*, *mihi*, *tibi*, *sibi*, *ubi*, *ibi*, *fero*, *gero*, *ago*, *colo*, *dabo*, *uoco*, *homo*, *Rapo*, quas in iisdem locis semper subsequuntur aut monosyllaba *et*, *aut*, *e*, *ad*, *in*, *hoc*, *haec*, *hic*, *hanc*, *has*, *huc*, aut polysyllaba qualia *ingénti*, *exánimi*, aut elisum *atque*, aut etiam cum elisione *ante álios*, *ante álias*, *ante*

ómnis, *ante áras*, *ante óculos*, ubi accentu carere praepositionem notum est.

Semel apud Vergilium in penthemimere eliditur ante accentum uox disyllaba a breui incipiens : Accepere *nequĕ ípse* manus feritate dedisset (A. xi 568). Qui uersus et est formae insolentioris et esse debebat necessario. Quod autem uocalis quae eliditur breuis est, id inde repetendum est quod ex indeclinabilibus multo usitatius est *nequĕ* quam *ferē* uel *diū*. Neque quidquam indicio est, si pro *neque* elisurus fuisset poeta aliquam adiectiui *malus* formam, fuisse cur eligeret *mală* potius quam *malō*. — Ter in quinti pedis initio eliditur ante accentum uox eiusmodi indeclinabilis, ne semel quidem nomen uel uerbum : in uno exemplo eliditur uocalis breuis (...*nequĕ índuit* arma, A. ix 180), in altero syllaba in *m* desinens (...*enim ánte* dehiscent, A. vi 52), in tertio uocalis anceps (...*ubi ígnea* uenis, G. iii 482); nihilo magis nomen uel uerbum, siue id productum sit, quod uetat Lachmann, siue quod sinit correptum. Atque in sexti etiam pedis initio non eliduntur aliae uoces quam indeclinabiles. Itaque tales uersuum exitus reperimus, *sinĕ úllis*, *nequĕ aúras*, *ibi ómnis*, *ibi ígnem*, *ubi íngens*. Ex industria fortasse cauit Vergilius, ne interposita uoce sensus plenioris rumperetur, hoc praesertim loco, metri decursus; sed etiam si ille non cauit, etiam si sola in his rebus uelut in talorum ludo uersata est fors fortuna, numquid mirandum est euenisse ut in uersu uno et altero poneretur *ibi* uel *ubi* potius quam quae corripi nequeunt declinabilia, *erae*, *acū*, *aquā*, *equō*, *humī* uel *harā*?

At in secunda pedis parte elisit Vergilius *tibĭ érunt*, *ubĭ ápes* (*i* enim correpte efferri et potest et hic debet), non *humī érunt*, *humī ápes*. Sane, ut etiam *striderĕ ápes*, *nomină érunt*, numquam *optimō ápes* uel *érunt*, numquam *siue mē ápes* uel *érunt*. Talibus quoque in exemplis eliditur syllaba breuis, numquam longa : *rapĕ in ómnia*, *tibĭ amárior*, *sciŏ acérba*, *gurgitĕ in álto*, *inciderĕ amóres*. Haec lex est communis, pertinens ad omnem in medio choriambo elisionem; propter quam legem ante

breuem syllabam non modo acutam, uerum etiam grauem elidi nequit uox non modo iambica, uerum etiam cretica uel monosyllaba. Indidem pendet quod in lyricis Horatius posuit *tibĭ ámor*, *nequĕ érat*, *forĕ énim*, *egŏ ápis*, ut etiam *marĕ Vlíxei*, *marĕ Apúlicum*, *iugă aénea*, *nisĭ eríle*, *Iouĕ et*, *nequĕ in*. — Ad quem poetam nunc transeundum est, tamquam ad lyricorum Romanorum exemplar.

Elisit ille *piō* (c. III 23,20). Eam uocem subsequitur *et*, quo loco uersus alcaici decasyllabi stare nullo modo potest uox dactylica (ut *álite*), numquam nisi sine elisione stat uox trochaica (ut *óra*). Necessitate igitur effectum est, siue mauis casu, non uero uoluntate poetae, ut elideretur uox iambica ante syllabam non acutam. Quod autem ante *ípse*, *árcu*, *áltum*, *úno*, *últra*, *hárum*, *éligit*, *íllis*, nonnumquam eliduntur *egŏ* et *nequĕ*, id non demonstrat, si pro coniunctione uel pronomine admittatur eodem uersus loco uerbum uel nomen, posse ibi elidi *pedĕ* potius quam *pedī*, *piă* potius quam *piō*, *agĕ* potius quam *agī*. Immo uide quam aequus talium uocum arbiter fuerit Horatius : ante grauem syllabam elisit *piō*, ante grauem syllabam *marĕ*, *petĕ*, *dolum*, *uirum*, *domum*, *Cyprum*, quasi prouidus cauisset ut apud posteros Lachmanniana regula posset derideri.

Neque minus aequaliter egit in iambicis Seneca. Qui in secundo pede saepe ante syllabam acutam elisit uocem bibreuem (Nemo est *nisĭ ípse*...), sed fere semper uocem indeclinabilem, *sinĕ*, *egŏ*, *quoquĕ*, *modŏ*, *quidem*, rarius uerbum imperatiuo modo (*agĕ* Med. 976, *petĕ* HF. 600), numquam nomen. Illo igitur loco neque umquam elisit *Iouĕ*, neque magis *Iouī* uel *specū*; nonnullis in uersibus elisit *tibi*, *sibi*, *ubi*, quae prosodiae sunt ambiguae. Similiter fit in pede tertio. In quinto et sexto locum habere nequit elisio quae ad rem nostram pertineat. Examinandi restant igitur pedes primus et quartus.

In pede quarto ante uocem monosyllabam *at*, *hoc*, *hac* elisit Seneca *suō* Phaedra 1268, *Iouī* HF. 489, *manū* HO. 813; sed idem ante *et*, *aut*, *a*, *in*, *ex*, *ad*, *hoc*, *hunc* elisit *meă* Tro. 996,

Stygă HF. 90, *marĕ* Med. 166, *agĕ* Med. 905, *grauĕ* Phoen. 311, *propĕ* passim, *malĕ* Oed. 939, *quotă* Oed. 67 et HF. 383, *patrĕ* Phoen. 333, *famem* Tro. 583, *nouum* Phoen. 549 et HF. 491, *uirum* Oed. 1039, *fugam* HF. 1012, *uiam* HF. 318, *diem* HO. 1187; praeterea *fretum* ante *ubi* Phoen. 117. Ante uocem a dactylo incipientem, ut *excútient*, elisit *ferae* HO. 1394, *suprā* HO. 349, sed etiam *precĕ* Phoen. 307, *benĕ* Phaedra 590 et HO. 1446, *plagă* HO. 1362, *darĕ* HO. 1844, *feram* HF. 1311. Ante uocem a spondeo incipientem, ut *imménso*, elisit *graui* HO. 1833, *suā* Thy. 979, *sinū* Ag. 187, *specū* HO. 262, *meae* Thy. 463 et Tro. 973, *tuae* Med. 128, sed etiam *propĕ* Tro. 575, *trabĕ* Med. 962, *marĕ* Phaedra 700, *nouă* Ag. 302, *mală* Thy. 783, *agĕ* HO. 1717, *facem* HO. 1660, *famem* Thy. 97, *patrem* HO. 1246, *diem* HF. 653 et 824 et HO. 770, *suum* Phaedra 1090 et Thy. 102, *deum* HO. 539, *domum* Phaedra 142 et HO. 884, *manum* HF. 1319, *suam* Oed. 963, *tuam* Thy. 1014, *decem* Tro. 337, *petam* HO. 1796. Ante syllabam acutam semel non plus elisit uerbum (*agè ómnes* Med. 562), numquam omnino nomen siue productum siue correptum. Quae autem Seneca obseruare solet in pede quarto, ea minime pendent a forma uocum bibreui aut iambica, nam eodem prorsus modo eliduntur ibidem uoces creticae aut dactylicae. Quas subsequitur in Troasin uox monosyllaba locis 28, uox qualis *excútient* locis 9, uox qualis *imménso* locis 19, uox *atqu*[*e*] locis 2, uox ab acuta incipiens loco uno (*pectorè ástus* 523), cui exemplo in illa fabula unico addi possunt ex ceteris fabulis octo omnibus tantummodo exempla duo (*prosperă ánimos* Ag. 252, *fallerĕ álium* Thy. 320).

In pede primo elisit Seneca *Diū* ante *expetítos* Thy. 1022, sed etiam ante uoces eiusmodi *Patrem* HF. 379, Phaedra 1252, Phoen. 98, *Regam* Phoen. 62. Elisit *Patrī* ante *es* (nisi pronuntiandum est *Patrīs*) HO. 1028, sed etiam ante uoces monosyllabas *Capĕ* Ag. 935 et HO. 562 et 571, *Datĕ* HF. 1230, *Forĕ* HF. 349, *Fugĕ* Ag. 910, *Manum* Phoen. 61. Posuit in uersus initio *Tuă ílla* Med. 500, *Iouĕ ésse* HF. 118, *Leuè ésse*

HO. 447, *Datĕ árma* Phoen. 358, *Benĕ ánimus* Phoen. 155, *Agĕ ánime* Thy. 192, *Deum ésse* Phaedra 195, *Meum ésse* Thy. 535, *Suum ésse* Thy. 195, *Parum álta* Phoen. 144, *Parum ípse* Oed. 24, sed similiter collocauit *Meā ípse* Thy. 1065, *Silē óbsecro* Med. 150, ut confiteri debuerit Lachmann regulam a se inuentam non poetarum esse omnium, sed « tantum non omnium ». Quam nos confessionem non accipiemus grato animo, quasi tandem liceat per eam accedere ad ueritatem paulo propius. Nam dicendum erat poetae nullius; immo nullam esse regulam, nullam regulae umbram; neque hic quidquam inesse nisi doctissimi quidem sed incautissimi uiri somnium, inter cetera illa metricorum de accentu somnia relegandum, obliuione et contemptu dignum; de quo tamen fusius disseruimus, ut auctoritati per superbiam quaesitae aliquando resistatur.

Iam nihil impedit quominus Phaedri *Tacē inquit* et *Venī érgo* comprobemus. Neque audituri sumus uiros doctos quibus, ne uideri posset Lachmann peccauisse, acceptum fuit aut *Tacĕ* aut *Venĭ*, qui sunt barbarismi.

De semipedibus tertio et septimo.

§ **33**. — In his semipedibus discrepat ab Senecae trimetro senarius Phaedri. Apud Senecam enim, ut apud tragicos Graecos, puri esse debent necessario pedes secundus et quartus; id est, ex una syllaba breui constare debet semipes tertius, ex una breui semipes septimus. Contra apud Phaedrum admittuntur promiscue syllaba breuis, longa, par breuium (cf. § 100):

1,2 Hanc ego *pŏliui* uersibus senariis.
2,8 A te *dēcurrit* ad meos haustus liquor.
41,1 Ceruus *nĕmŏrosis* excitatus latibulis.

4,13 Contentus nostris si *fŭisses* sedibus.
3,9 Aesopus talem tum *fābellam* rettulit.
15,15 Qui capita uestra non *dŭbĭtatis* credere.

§ **34**. — *De uocula bibreui non admissa.*— Vocula bibreuis quamquam admittitur in semipede primo uel nono, ut

34,38 *Erĭt* ille notus quem per te cognoueris,
38,11 At si laxaris cum uoles *ĕrĭt* utilis,

tamen excluditur tertio et septimo. Nisi cui forte placeat pro facillima correctione *ni* scriptura illa Perottina *nisi*,

120,8 Immo [aes] *nĭsĭ* dederis sponda cessabit tua;

aut uersum ex omni parte corruptum sic libeat informare

133,11 Non sum [cum] in campo par *tĭbĭ* sed [susum uolo].

Etiam *mălă* 17,2 per se ferri nequit, nisi altera syllaba eliditur. Pronuntiandum est *cuj*, non *cŭĭ*, 130,4-5; *ej* restitui 18,3; 51,10; 100,3. Sic *cuj uenia* Sen. Ag. 267, *Cuj ultima* syllabis quattuor (attamen sine elisione et sine hiatu) Ag. 146.

§ **35**. — Ergo, ubicumque post semipedem secundum aut sextum ponitur uox bibreuis, eius uocis exitus eliditur :

41,23 Cerui *quoque* alta conspicatur cornua.
130,4 Places *tibi*, inquit, quia cui non debes places.

23,3 Interrogauit an *boue* esset latior.
84,17 Quid tibi uidetur? — Hoc *quoque* insulsum est, ait.
3,30 Malum perferte. — Vos *quoque*, [o] ciues, ait.
21,1 Stultum consilium non *modo* effectu caret.
41,8 At ille supplex: Vos *modo*, inquit, parcite.
20,9 Cubile coepit*; — si *mihi* et turbae meae.
133,6 Quasi non abunde sit *mihi* in prato cibus.

Sic eliditur et *sicubi* 97,1.

§ **36**. — Voces *mĭhī mĭhĭ*, *tĭbī tĭbĭ*, *sĭbī sĭbĭ*, quae in primo pede fere corripiuntur (§ 64), producuntur semper in pede secundo aut quarto :

43,37 Quo[m] iam *mihi* sollemnis d[abi]tur gloria.

?36,7 Nec tibi prodesse nec *mihi* quicquam pot[i]s.
84,24 Maiorem exhibeant ne *tibi* molestiam.
62,14 Noli adfectare quod *tibi* non est datum.
62,2 Cantus luscinii quod *sibi* non tribuerit.

§ **37**. — *De parte uocum paenultima.* — Semipedem tertium aut septimum, qui sit uocis pars paenultima, neque longa neque breuibus geminis effici fas est; at saepissime efficitur breui singulari, ut

16,5 Is *hostĭum* clamore subito territus.
16,10 Cui *seruĭam*, clitellas [q]um portem meas.
61,12 Nisi *utĭle* est quod facimus stulta est gloria.
80,3 Quam *tangĕre* ut non potuit, discedens ait.
97,6 Si *marmŏri* adscripserunt Praxitelen [scabro].

58,9 *Nouissĭme* succumbit; tum uictor σοφος.
82,9 *Aequalĭter* distribuat, sed tali modo.
52,5 *Puerilĭter* ludentes forte inspexerunt.
25,9 *Nouissĭme* indignata dum uult ualidius.
59,20 *Obsistĕre* homines [dogmatis], meritis capi.

65,10 Sero *dŏmum* est reuersus titubanti pede.
44,31 Quem si *lĕges* laetabor; sin autem minus.
52,9 Ergo ad *pătrem* decurrit laesura inuicem.
87,5 Alii *sĭmul* delinquunt censores sumus.
81,2 Dum sese *ăper* uolutat turbauit uadum.

In quibus animaduertendum est, ubi pes secundus iambus sit una uoce constitutus, pedem primum numquam esse iambum. Sed hoc casu opinor; *Lĭbet mĕum*... Seneca HF. 1156, itidemque Tro. 451, 760, Phoen. 134, 201, 337, Med. 288, 539, 897, 911, Phaedra 637, Oed. 334, Ag. 991, Thy. 263, 442, 454, 526, 720, 898, HO. 911, 1333, 1830, 1855; praeterea HF. 1149, 1193, Phoen. 219, Oed. 373, Ag. 524...

1,2 Hanc ego poliui *uersĭbus* senariis.
14,7 Quantum decorem *corpŏre* et uultu geris.
2,2 Siti conpulsi; *superĭor* stabat lupus.
54,21 Intrauit recta *cubicŭlum* in[terius] petens.
17,7 Vbi uos requiram cum *dĭes* aduenerit ?
100,19 Ipso ludorum *ostendĕret* sese die.
82,22 Lauationem *argentĕam*, eunuchos, glabros.

Ennii est, non Phaedri, uersus ille clarissimus (in quo molossus inter duas breues, ut creticus 24,7; 77,15; 82,17; 110,5; 112,6) :

76,34 Palam muttire *plebeio* piaculum est.

Perotti est 112,5 « ...*ingenii* fiducia est », pro *ingeni*, ut in exitu uersus *imperii* 113,31. Librarii est 86,1 « ...in *magnum* periculum » ; item uersu insequenti « ...*altĕrĭus* quaerit malo » ; atque corrigere par erat locum corruptum

126,7 Cum circumspectans *errōre* (uel *orrore*) haesisset diu.

§ **38**. — Plerisque poetis quasi uocem unicam efficit praepositio cum substantiuo uel pronomine suo arte coniuncta. Vnde Vergilius ex. gr. *inter-se* in fine hemistichii collocat; ipse Phaeder in uersus exitu *ab-hostibus* (83,8; § 41) et fortasse *praeter-spem fauet* (119 promyth.; § 52). At Phaeder ibi *per te* admittit, ubi uocem spondeacam numquam admisit :

54,58 Erit ille notus quem *per te* cognoueris.

Ergo cum arte non pugnant hae emendationes :

45,5 O suauis anima! quale [*in*] *te* dicam bonum.
123,5 Tuto [querela quia *apud te*] deponitur.
120,13 Furore [*ad se* omnis plena uocat et] uerbera.

§ **39**. — *Qua lege admittatur semipes bibreuis*. — Effici potest semipes tertius uel septimus syllabis duabus breuibus, dummodo sequantur duo semipedes ad eandem uocem pertinentes, ut

6,10 Malo *adficietur* siquis quartam tetigerit.
41,1 Ceruus *nemorosis* excitatus latibulis.

Sic *insidiosum* 37,9, *insidiatus* 113,4, *insidiatrix* 132,4, *ardalionum* 38,1, *in*[*t*]*eriore* 79,7, *condicione* 82,8, *incipiebat* 100,17, *circumeunti* 63,5 (nisi eliditur -*cum*-); — *ratione* 82,17, *faciendos* 108,11, *scarabaei* 135,7. At 73,1 scripsit Phaeder *parturibat* (non *parturiebat*; u. § 98).

15,6 Rex urbis, eius *experiendi* gratia.
15,15 Qui capita uestra non *dubitatis* credere.
95,6 Quam quisque posset ut *nouitatem* ostenderet.

Sic *consiliator* 39,2, *significari* 47,10, *implicuisset* 54,41, *utilitatem* 79,4, *attribuisse*[*m*] 106,3, *afficiebat* 115,3, *diui-*

tiarum 28,5 (ubi uix pronuntiare licet ut apud Terentium *ditiarum*, nam choriambus est *diuitias* 72,1 et 94,9; cf. § 90); — *rapiantur* 26,4, *uoluisset* 59,11, *uideamur* 61,7, *potuissent* 82,32, *sequerentur* 83,7, *pretiosas* 72,11, *faciebat* 95,30, *cariosis* 103,5, *meliores* 43,6, quod nonnullis suspectum fuit (§ 77). *Petierunt* 72,18 et *petier*[*unt*] 54,39 utrum ◡◡ - - an ◡ ◡◡ - efficiant incertum est.

Animaduertit Lucianus Mueller non inueniri binos deinceps anapaestos. Quod consilio factum uix est. Anapaesto enim quarto nullo modo potest subici anapaestus quintus, nisi in eadem uoce (uelut *laetĭfĭcābĭmĭnī*). Neque propter caesurae leges licet anapaestum tertium conficere qui aut anapaesto quarto praeeat aut anapaesto secundo succedat. Anapaesto secundo praeire potest quidem anapaestus primus (uelut *Minimo adficietur*..., *Sine condicione*..., *Timidus nemorosis*...), sed anapaesti primi inueniuntur fere in uersibus denis singuli, anapaesti autem secundi sunt in toto Phaedro duodecim aut tredecim.

§ **40**. — Quamquam post semipedem secundum uel sextum ponitur sine offensione uox ionica qualis *nĕmŏrosis*, numquam tamen iisdem locis admittitur uox composita qualis *pătĕ-feci*, *mălĕ-dixi*, *săcrĭ-legium* (cf. *Patefecit* in uersus initio 84,11, *malediceret* post semipedem octauum 130,1, *sacrilegio* post semipedem quartum 88,3). Videtur igitur Phaeder uitauisse certis locis bibreuem non modo uocem, sed etiam uocis umbram. Quare in epimythio fabulae 130 scripserim *Maledictum nullum* potius quam *Nullum maledictum*.

De semipede nono.

§ **41**. — Potest hic semipes constare ex syllaba una breui, sed ea lege ut una uoce contineantur semipedes nonus, decimus, undecimus :

3,3 Frenumque soluit pristinum *lĭcentia*. (Sic passim.)

3,21 Quod cum inquinassent omni *contŭmelia*. (Sic 40,5 et passim.)
39,17 Dulcemque sponte praestat *beniuŏlentiam*. (Cf. 76,21; 108,14; 119,15.)
89,7 Odi, inquit, illum quia malis *ămicus* est. (Cf. 94,4; 95,23.)

Eandem legem sequitur Seneca, apud quem reperiuntur in uersus exitu *căcumine* Tro. 1080, *nĕpotibus* Med. 512, nomina eiusdem formae propria Tro. 195, Med. 709, Thy. 115, HO. 804. At Phaeder nonnumquam pro uoce singulari ponit praepositionem cum substantiuo (§ 38):

38,2 Trepide concursans, occupata [*ĭ*]*n-otio*.
54,19 Simulauit iter ad uillam clamque *ĭn-oppido*.
83,8 Haesere in portis suntque capti *ăb-hostibus*.

Vim probandi non habet 119,5 *se in-hortulos*, ubi quin *sĕ ĭn* pronuntiemus uetitum non est (§§ 27-28).

§ **42**. — Versus numero 798 terminantur apud Phaedrum uoce semipedum trium, uelut *dīcĕrem*, *cĕlĕrĭter*. Ei uoci qui praeit semipes nonus constat fere semper aut ex una longa aut ex binis breuibus: sic *innocentēs* opprimunt, *certātim* adnatant, *ĕrĭt* utilis, *progĕnĭem* opprimat; — *luctūs* habuerint, *decepta* auiditas. Itidem Seneca: *carī* corporis, *promissa* occupet, *dărĕt* Hercules, *desĕrŭi* aetheris; — *omnis* memoria, *Phrixēi* arietis. Neque aliter conformatur semipes nonus, ubi subsequuntur uocula unius semipedis et uox semipedum duorum (*natus non eram*, *inuīta et diu*, *fŏrĕt a molis*, *dederis satis erit*), uel contra uox duorum semipedum et uocula semipedis unius (*locuples factus est*, *iacentis miserita est*); etiam 59,9 legitur *peperit non ita est*; praebet Seneca uersuum exitus huiusmodi, *si stat nefas*, *immite ac ferum*, *sătĭs est tibi*, *coniŭgĭum ut nihil*, *moliri ausus est*, *uindicta in manu est*, *ancĭpĭti in loco est*. Atque apud Senecam quidem constat inter doctos nullo modo posse effici ex una syllaba breui semipedem nonum, post quem noua uox incipiat. A cuius tragoediis absunt in uersus exitu etiam illae compositiones praepositionum cum substantiuis quas modo laudabamus, *ĭn otio*, *ĭn oppido*, *ăb hostibus*.

Minus firmo Phaeder consilio usus esse uidetur, si codicum testimonio confidimus. Nam non modo, de qua re dubitandum non est, praepositioni suo substantiuo iunctae quoddam esse uoluit priuilegium, sed etiam, quod facilius suspectum est, in aliquot locis breuem semipedem sine causa aperta aut poeta posuit aut saltem librarii tradiderunt. Incertus haesit Lucianus Mueller, emendandane essent an seruanda illa rariora semipedis noni exempla; plerumque tamen in lectione codicum acquieuit. Ego me quoque confiteor magna diu dubitatione fuisse perturbatum, cum neque omnes locos coniectura temptare auderem, neque tamen reciperet mens quae et oculi uidebant et manus adhuc attingere uerebatur.

Aliquando tamen diiudicanda res in alterutram partem erat. Itaque cum me sentirem ad credendum adduci non posse, praetereaque locum unum (20,3) agnouissem esse procul dubio mutilatum, quem uix ulli prius putaueram obnoxium suspicioni, intellexi esse ex pectore exigendam, qua prius obtorpuerat animus, criticam ignauiam. Atque modo litterulas modo uoculas aut loco moui aut addidi aut leuiter immutaui, donec instaurata est in toto Phaedro seuerissima illa regula, quae in toto Seneca inuiolata conspicitur. Itaque nunc examinandae sunt ex ordine omnes lectiones quotquot illa causa emendandas esse decreui.

§ **43**. — Facillime omnium hae corriguntur codicum *PR* lectiones :

13,12 Tum moriens uocem hanc *edidissĕ* dicitur.
20,8 Hoc quoque consumto *flagitarĕ* ualidius.

Nam seruauit Danielis schedula *D* pro *uocem hanc edidisse* meliorem uocum ordinem *dedisse uocem hanc*, pro *flagitare* passiuum *flagitari*. Cuius testimonium deficit ceteris locis praeter 20,3 omnibus: at omnes fortasse praeter 20,3 possent nullo negotio emendari, si integer exstaret optimus ille textus fons, cuius schedula Danielis particula tantilla est.

§ **44**. — Rubricator, non ipse librarius, tertio in loco ὑπεύθυνος est :

54,39 A diuo Augusto tunc *petierĕ* iudices.

Quod corrigendum est ex 72,18 ...*quam petierunt naufragi*; cf. ...*fecerunt tympana* 78,7; ...*responderunt proximi* 98,16; ...*dixerunt Castorem* 133,2. Versum reficiens posuit pro *petiere* Perottus *rogarunt* ut numerus syllabarum fieret quam minimus (p. 287).

Teste et Perotto et *PR* legitur quarto loco

93,8 Sed te, contemti generis *animăl* improbum.

Hic uix dubium est quin reponi debeat *animāle*. Eam substantiui formam non defendam ex Lucretio III 635, sed nouit qui apud Phaedrum fortasse lectum damnat Plinius, laudatus a Charisio p. 119,5. Adhuc scriptum inuenitur in codicibus *animale est* apud Cic. fin. II 31, quamquam ipse Cicero fortasse *animal* posuerat. *Animale*, *tribunale*, *bidentale* « multi » uoluerunt teste Charisio p. 25,17. Atque Phaeder extulit syllabis quattuor *uirginale* 65,12 (ubi traditur *uirginali*).

Arrepto Harii remedio orthographico sanauit Lucianus Mueller quintum locum

6,1 Numquam est fidelis cum *potentĕ* societas.

Quid enim procliuius, quam una uocali immutata scribere *potentī*? Sane legitur apud Quintil. VI 1,6 « a uili aliquo contemptoque, uel ex contrario *a potente* nimium », atque notum est dici solere *cum homine sapienti*, substantiui autem sensu *cum sapiente*. Sed in huiusmodi distinctionibus aliter, puto, grammatici cumque grammaticis librarii sentiebant, aliter ipsi bonae aetatis scriptores. Illud Quintiliani *a potente nimium* pro certo uix habebis, si reputaueris apud eundem legi VIII 3,55 « ut *a diligenti* curiosus et a religione superstitio distat ». Substantiui etiam sensu Vergilius A. XII 519 « *potentum* Munera », cogente metro, ut alii dactylici *amantum*; item Phaeder 13,7 *uenantum; amantium* tamen teste metro Terentius Andr.

555, *turba fauentium* Hor. C. III 24,46 et *dona nocentium* IV 9,42.

§ **45**. — Non solum propter metrum, sed etiam propter sensum suspectus est sextus locus

79,11 Mures ueloces non *ualerĕt* adsequi.

Dicendum enim erat nullo pacto id quod traditur, mustelam anum *non* ualere, sed propter aetatem *iam non* ualere. Atque aduerbium ab librario omissum seruauit paraphrastes : « *iam non* sequebatur ». Itaque restituto *iam* ante *adsequi* consului et claudo pedi et mancae sententiae.

Etiam septimus locus per se suspectus esse debebat, qui sic traditur et in *PR* et in *D* :

20,3 Canis parturiens cum *rogassĕt* alteram.

In quo, ut supra dixi, haesi diu, plurimos secutus caecos et ipse caecus. Sed reuera nihil corruptius esse potest. Nam non modo uocum structura in uersu insequenti impedita est, sed, quod maioris momenti esse concedas, *blanditiarum* mentio non fit, quamquam factam olim esse testatur promythium. Itaque lacuna laborat textus noster.

§ **46**. — Corruptelae indicium prae se fert et locus hic octauus :

11,9 Tu non uideris *perdidissĕ* quod petis ;
Te credo subripuisse quod pulchre negas.

Hic *perdidisse* et *subripuisse* opponuntur, ut ἀπολωλεκέναι et κεκλοφέναι in ore Diogenis cynici ap. Diog. Laert. VI 2,54 (δυοῖν ποτε νομικοῖν ἀκούσας τοὺς δύο κατέκρινεν, εἰπὼν τὸν μὲν κεκλοφέναι τὸν δὲ μὴ ἀπολωλεκέναι). Hactenus bene, sed alteri uerbo additur *quod petis*, alteri *quod pulchre negas*, quae adulterina dicenda est concinnitas. Nam aut sine ullo aduerbio scribi debebat *quod petis*, *quod negas*, aut cum duobus aduerbiis *quod audacter petis*, *quod pulchre negas* ; quin ipsa per se male opponuntur *petis*, quod iudiciorum est, et *negas*, quod uitae communis ;

atque peti solet res aliqua, negari solet aliquem aliquid fecisse. Igitur ut Latina fiat oratio, dissimilibus structuris uti decet, interpunctione distinguere ante *quod pulchre negas*, non distinguere ante *quod petis*; hic enim sensus erit « tu eam rem domi habes quam petis; tu fur es, quam rem negas ». Quod si Phaeder sibi uoluit, non potuit discrimen nullum facere inter prius *quod*, positum pro *eam rem quam*, et posterius *quod*, positum pro *quam rem*. Reponendum est igitur *id quod petis*, quo facto et semipes nonus sanatur et structura fit perspicua et simii sententia magis redolet loquendi consuetudinem iurisconsultorum. Exempla enim prorsus similia produci spero, siquis iurisprudentiae Romanae peritus auctores idoneos excusserit; nunc ego satis habebo commemorasse qualia praebeant aetate liberae rei publicae lex repetundarum et lex Rubria (C. I. L. I 198 et 205), *eum unde petet*, *is unde petetur*, *is quei petet*, *de eo a quo ea res ita petetur*..., imperitante autem Vespasiano lex Malacitana (C. I. L. II 1940), *is ad quem ea res qua de agitur pertinebit*....

Praeterea, nisi fallor, addito *id* restituitur obscuratum pristini textus acumen. Secum pugnet uolo in illa mira sententia simius, secum tamen pugnare nec confiteatur sese nec profiteatur. Pueris saepe nostris, dum fabulas Fontanianas ediscunt, odiosi sunt, neque iniuria, uersus illi notissimi (II 3) « Car toi, loup, tu te plains quoiqu'on ne t'ait *rien* pris, Et toi, renard, as pris *ce que l'on te demande* »; iam improbabant « quelques personnes de bon sens » saeculo septimo decimo « l'impossibilité et la contradiction qui est dans le jugement de ce singe ». Quibus ut sese purget, ait La Fontaine « je ne m'en suis servi qu'après Phèdre » : at Gallico poetae auctor fuit non ipse Phaeder, uerum Phaedri librarius qui *id* omisit adulterinamque quam dixi concinnitatem primus in textum intulit. Correcta ab nobis uerba qui nondum perpenderit, dubitabit aliquandiu an non inter se componi possint uersus 9, in quo de re subrepta, et u. 10, in quo de persona agitur; postquam cum cura in omnem partem examinauerit, tum demum intelleget non esse uocibus

uoces, sed rebus res contrarias; « c'est en cela que consiste le bon mot, selon mon avis ». Melior est tamen, et quia breuius et quia ordine iusto exprimitur, cynici sententia τὸν μὲν κεκλοφέναι, τὸν δὲ μὴ ἀπολωλεκέναι; etiam ideo melior, quod hominis est, non iudicis.

Nonus quoque locus corruptus per se uidetur esse :

30,4 Asellus apro cum *fuissĕt* obuius.

Obuius enim apro asellus non *fuerat*, sed *erat*. Igitur restitui *tulisset se*, quod et grammaticae conuenit et rei metricae. Aut omisso per merum casum *se* correctum est TVLISSET in FVISSET, aut non intellexit librarius accusatiuum *se* nominatiuo *obuius* iunctum.

Frustra cogitares de prosodia uetere *fuissēt* (aut 79,11 de *ualerēt*, 20,3 de *rogassēt*). Nam apud Phaedrum sunt 49 exitus uersuum quales hi, *sentiret calamitas*, *laudat cornua*, *sentit fabulas*, in quibus syllabae primitus productae *-at*, *-et*, *-it* postponitur consonans; itaque eiusmodi syllabas non habuit ille pro ancipitibus.

Aliud inest uitium loco decimo, sed tamen uitium. Qui locus sola Perotti fide nititur :

106,5 Elephanti uires et *leonĭs* impetum,
[Cornicis] aeuum, [spiritum] tauri trucis,
Equi uelocis placidam mansuetudinem ;
[At] esset homini sua tamen sollertia.

Sane primo aspectu uidentur hi uersus emendationem qualemcumque ne admittere quidem. Nam sanum esse ab omni parte *leonis* comprobant tum ceteri genetiui, tum quae illi maxime animali conuenit dos impetus. Rursus ipse *impetus* suspectus esse nequit, cum praeeat nomen leonis. Neque patitur sensus inseri aduerbium, quale § 45 in 79,11 inseruimus *iam*. Neque propter metrum deesse potest post *leonis* adiectiuum, qualia sunt in u. 6 *trucis*, in 7 *uelocis* uel *placidam*. Sed corruptela fiet manifesta si coniunctionem *et* consideraueris. Qua cum leonis *impetus* iungatur *uiribus* elephanti, simul

iungatur propter addita adiectiua tauri *spiritus mansuetudini* equi, cumque elephanto et leoni tribuatur uersus integer, tauro et equo tria hemistichia, inter utrumque par animalium uno exili hemistichio comprehenditur sola cornix, cuius *aeuum* neque cum *uiribus* aut *impetu* neque cum *spiritu* aut *mansuetudine* ullo pacto comparatur aut coniungitur; itaque aures simul et mens ipsa offenditur, neque credibile est tam inepte sese hic gessisse scriptorem, quem commendare solet ars eximia et singularis dicendi felicitas. Conieci igitur *et leonis cum impetu Cornicis aeuum*, ut artius inter se iungantur longaeuitas et propria iuuentae dos, laxius utraque conectatur cum robore corporis, ab his tribus separentur et inter se cohaereant et ampliore uerborum ambitu significentur pecudum uirtutes animi, per quas transiri possit ad sollertiam humanam. Qua emendatione contigit ut hemistichiis tribus responderent in enumeratione tria, et simul etiam ut formam legitimam reciperet uersus corrupti semipes nonus.

§ **47**. — Locum undecimum uix dixerim esse nisi a metro suspectum :

69,3 Sinuque fouit, contra se *ipsĕ* misericors.

Attamen animaduertendum est parum usitate dici *sum misericors contra aliquem*. Itaque putaui excusari saltem posse iuncturam duriusculam, si acrius intendi animum iuberet praepositio insolenter collocata (*se ipse contrā misericors*). Non quo soleam comprobare emendationes quae fiant ordine uerborum inuerso; sed hic fuit cur anastrophen aegre paterentur librarii. Reieci autem illud ab Hario propositum *ipsum* : quod si uerum esset, numquam esset corruptum; atque Latinitati magis conueniebat *ipse*. — Duodecimum locum correxi propter solum metrum (quamquam minus placet hic *dolosa blandiar*, uel ut uoluit L. Mueller *dolosa scio*, quam 37,17 *dolosa se condidit*) :

129,6 Scio quem lacessam, cui *dolosă* blandiar.

Sed metro satisfacit *dolosē*, quod proposuit Nauck; Perotti

solius fide nititur quod uulgo legitur *dolosa*, qui homo etiam 50,3 *dolosa* tradidit pro falsa lectione *dolose* ex *dolone* orta.

§ **48**. — Generis fortasse diuersi est locus decimus tertius:

114,9 Plane, immo nimium est; sed *permittĕ* scalpere.

Perinde tamen nos correximus, *permittes sc-* pro *permitte sc-* scribentes ut 42,3 *honoris sc-* pro *honori sc-*; etiam 54,51 quod legitur *credat st-*, pro *credas st-*, oriri potuit ex *creda st-*.

Produci *permitte* ui consonantis *s* impurae uix credibile est, quamquam codices tribuunt Senecae (Phaedra 1026) « Immugit, omnes *undique scopuli* astrepunt[1] » ipsique Phaedro (44,20) « Quamuis in ipsa natus sim *p[a]ene schola*[2] ». Nam correpte posuit Phaeder 47,14 « Aesopus *ibi stans...* »; 114,12 « Licet horreum mi pateat *ego scalpam* tamen ». Atque ubicumque semipes decimus incipit ab littera *s* impura, praeit aut uocalis longa ut 45,3 *latē spargeret*, 74,15 *uideō* (uel *pascī*) *stercore*, 108,17 *infusō spiritu*, aut consonans ut 28,11 *educatus stercore* (ubi caue ne cum Luciano Mueller *educatĕ* scribere uelis), 46,6 *sustineret spiritum*, 76,29 *continetur spiritus*, 95,30 *faciebat scilicet*, 114,7 *aliquid scalpere*, 135,2 *conponit scilicet*, 75,5 *ut scriberet*[3], aut utrumque ut 54,33 *credulitās strinxerat*, 70,17 *torquēs spiritum*; 77,1 bene restitutum est *operī statuere*, 54,51 *credās statim*. Exempla idonea uix reperire est apud Senecam, qui inter semipedes nonum et decimum elisione uti solet (§ 50); legitur tamen *firmā spiritum* Tro. 951, *sī stat nefas* Thy. 744.

§ **49**. — Locus non adnumerandus est decimus quartus:

61,11 O nata, merito sapiens *dicere* omnibus,

1. Tutius puto legas *undique en scopuli*, adscito in u. 1026 illud *en* quod in 1025 praue collocatum est post *quaerimus*; praesertim cum dubium sit (§ 61) possitne ita u. 1025 corrigi ut uocula *en* efficiat semipedem decimum. — Ante *s*-correptas syllabas habet Seneca HF. 916, Ag. 433, Thy. 845.

2. Pro *pene* reposui *Phoebi*.

3. Probandi uim non habet 68,7 *in stercore*: cf. enim 38,2 *in otio*, 54,19 *in oppido*; § 41.

in quo *dicere* futuri est (§ 99). Neque erit qui tutetur uersum corruptum 110,6 ...*sine finĕ miserias*.

§ **50**. — *De elisione*. — Elisionem post semipedem nonum libenter a Phaedro esse adhibitam, ubi quidem sinebat uocis insequentis forma, ex ea tabula apparet quae datur infra § 73. Nam ex 173 + 11 (= 184) uocibus incipientibus a uocali uel *h*, quibuscum incipit semipes decimus, sequuntur 134 syllabam elisam, 50 syllabam non elisam. Sed elisionem post semipedem nonum uehementius quam Phaeder adamauit Seneca. Qui in textu multo longiore uix saepius admisit uersuum exitus quales *omnes aduoca* Med. 562 (sunt loci fere 61), contra permultos habet exitus quales *consilia adiuua* Med. 569, *aude incipe* Med. 566. Atque inter utrumque poetam insignis est discrepantia in uocibus a consonante incipientibus. Quae cum ante se elisionem non recipiant, in fine uersus Phaeder nulla religione impeditus posuit locis 556 + 97 (= 653) uoces quales *līminis*, *făcĭnoris*, *nōn habet*, *grātus est*, *sătĭs erit*; Senecae religio fuit, qui uersus tantummodo 132 eo modo finiuit. Itaque si has tres exituum formas consideraueris, *cunctas* (uel *bene*) *liminis* (uel *facinoris*), — *cunctas* (uel *erit*) *utilis* (uel *hominibus*), — *natura* (uel *consilio*) *utilis* (uel *hominibus*), numero exemplorum multo superat apud Phaedrum prima summam secundae et tertiae, apud Senecam tertia summam primae et secundae.

De semipede decimo.

§ **51**. — *De elisione non admissa*. — Nusquam post eum semipedem admittunt elisionem Phaeder et Seneca, quamquam locis 32 apud Phaedrum, locis 253 apud Senecam, incipit undecimus cum noua uoce et initialis est uocalis uel *h*. Itaque cum legatur in *P*

2,5 Quur inquit turbulentam mihi *fecisti* aquam,

praeponendus est ordo Ademari *fecisti mihi*, et reicienda uox *Aquam* in uersum 6, qui si a *bibenti* incipit mancus est.

§ **52**. — *De uocula unius semipedis.* — Constare potest semipes decimus ex una uocula, siue monosyllaba erit ut *per* siue bibreuis ut *sĭnĕ*, sed in hac re cautissimos esse decet editores. Nam numquam eo loco ponit Phaeder uerbum non substantiuum (uelut *sto*, *lĕgĕ*), numquam nomen (uelut *mons*, *lĕuĕ*). Qui tales uoces libens in semipede nono admittit, uelut *des* 44,13, *ruit* 54,4, *mens* 43,25, *uim* 44,3, *uis* 119,18, *par* 57,6, *res* 100,35, *Mars* 113,18. De *praeter-spem fauet* in promythio fabulae 119 uide et ibi et ad 54,58 et § 38.

In corrigendo igitur non licet reponere tales uersuum exitus, *par tibi* 135,11, *Phryx sophus* 116,2. Quod pro *Phryx cum uidisset sophus* posuit Perottus *cum uidisset Esopus*, id consilio factum puto; u. § 98.

Neque tamen recte damnes coniectationem, per quam uocula eiusmodi subiciatur alteri unius semipedis uoculae. Nam apud Senecam, qui Phaedri regulam summa diligentia obseruauit, legitur in uersus exitu *ut scis opes* Med. 540, *non uult amor* Phaedra 251, *quo spes feret* Ag. 142, *si stat nefas* Thy. 744, *dum fit miser* 907, *non fit ferit* HO. 427. Iure igitur scripsit L. Mueller in fab. sua p. 89 *quam sors dedit.* Sic nos *non das libens* 104 epimyth. Vixque uidetur emendari posse uersus quidam uexatissimus nisi ante iambum ultimum reponitur *quia rex* :

6,7 Ego primam tollo; nominor *quia* [*rex* meast.]

Nam regiae dignitatis mentio abesse non potest. Neque sensus magis quam metrum legitimum elicitur ex corrupta (repetito uersus praecedentis exitu) codicum lectione *nominor quia leo*. In qua re diiudicanda cauendum est ne nos impediat auctoritas uel ut rectius loquar familiaritas Fontanii nostri, qui uir ut ingenii fuit iucundissimi et subtilissimi, ita se in aestimandis ueterum operibus nimis praebuit candidum. Velut illi

fabella 82 uidetur esse « une histoire des plus gentilles », de qua uerius dixisset « des plus niaises ». Pari commoditate comprobauit in fabula 6 et nugas ipsius Phaedri, de pecudibus carniuoris, et nugas librariorum, qui *fortis* scripserant pro *socius*, *leo* pro *rex*. Sic La Fontaine (I 6) : « et la raison, *C'est que je m'appelle lion*; A cela l'on n'a rien à dire. » At cum tam insulsa scriberet, sensit ipse tamen sana deesse, melioraque ex sese addidit quam quae apud Phaedrum legebat : « Prit pour lui la première *en qualité de sire* ».

Fere similiter Romulus Bernensis (Hervieux, II² p. 759) : « quod leo *rex* sum *animalium* »; Gallice *rois* poetria Maria. Quas lectiones non tribuerim memoriae textus nostri in codice nescioquo incorruptius seruatae; sed partim, uel in medio aeuo, acumini mentis humanae, quae uera sponte quaerit et interdum inuenit, partim fortunae cuidam felici. Nam praeter fabulam Phaedri de leone et tribus pecudibus (id est, nisi fallor, de Seiano uel Seiani amico et tribus humilioris ordinis ciuibus), seruata est altera fabula Latina de leone, bubalo et lupo (Hervieux II² p. 516, 568, 658, 717), quae propior est Babrianae fabulae 67 de leone et onagro. In ea autem non modo *rex* (p. 516, 718; pro quo *primus* p. 568, *regno* p. 658), sed etiam seruatum est illud, unde librarii effecerunt *fortis*, Phaedro restituendum *socius* (*socius* p. 568; « quia *uobiscum* illum occidi » p. 516; minus bene p. 658 et 718). Mixtis autem inter se uicini argumenti apologis remigrarunt bonae lectiones etiam eo unde diu exsulauerant : « primam partem tollo ut *dominus*, secundam ut *socius*, tertiam quia omnes deffendo » (Hervieux p. 306). Bona cum malis una Alexander Nequam (Hervieux p. 397) : « Iure *sodalicii* pars summa datur michi cerui Et *regi* dabitur altera iure michi; Sumo prior partem quoniam *leo* nuncupor unam, Et quia sum *fortis* altera iure mea est ». Cf. « quia *rex* sum ego prima pars erit mea, secundam uendico quia uobis sum forcior » (Hervieux p. 568).

§ **53**. — Vbi ponitur ante iambum ultimum uocula *est*, fere

semper pronuntiari potest *st* : *uindicta est* 30,10, *enixa est* 44,17, *rara est* 53,1, *quodcumque est* 99,3, *uisum est* 51,20 et 74,7, *factum est* 54,8, *insulsum est* 84,17, *laudandum est* 71,7, *scriptum est* 73,3, *pennarum est* 14,6, *multo est* 56,6, *consilio est* 93,12, *liberto* [*est*] 54,11; minus fidei habent *currendum est* 50,9, *bruma est* 74,19; neque scribemus 51,7 *eadem condicio est* cum *V* potius quam *eadem est condicio* cum *PR*. — Phaeder cum uocem *est* nominatiuo potius quam alii casui uel aduerbio subicere soleat, longe a semipede decimo posuit uerbum in *Ergo exploranda est ueritas multum prius* 54,5; *Postquam consumta est temporis longi mora* 82,18. — Vbi non potest pronuntiari *st*, uoculae *est* praeit altera uocula unius semipedis : *mens est* 43,25, *par est* 57,6, *non est* 62,14. Etiam subiunctiuo praeit uocula unius semipedis (*non sim* 51,27). Admisimus *iucunda es* (quod pronunties licet *iucundäs*) 132,8.

Igitur ante iambum ultimum, quotiescumque licet, ponitur potius *sit credendum* (92,13) quam *credendum sit*, *sunt nati* (37,13) quam *nati sunt*, *sum factus* (123,12) quam *factus sum*; sic *sunt uobis* 62,10, *sunt forti* 89,1, *sunt laud*[*i*]*s* 75,13, *sit inuentum* 43,12, *sit faciendum* 39,9, *sit uitae* 70,7; etiam *est quod timeas* 34,7 et 118,28. Praue emendatum est olim coniectando *natus sim schola* 44,20; item *currendum sit scio* 50,9. Ibi tantummodo uidemus semipedem decimum constare ex uocula *est*, *sunt*, praeeunte uoce longiore, ubi transponi uoces non possunt :

78,9 Quidnam fecissent, hoc *locuti sunt* modo.
86,8 Descende, amice; tanta *bonitas est* aquae.

Neque tales uersus Seneca usquam habet. Apud quem semper aut *est* ita collocatur in semipede decimo ut pronuntiari possit *st* (similiter pro *es* pronuntiari potest *s* Phoen. 105, 483, Phaedra 1184, HO. 446, 1260), aut uerbo substantiuo praeit uox unius semipedis : *non est* Phoen. 410, Med. 279, 447, Thy. 215, 720, *mens est* HF. 1243, *mors est* Phoen. 75, *pars est* Phaedra 1267, Thy. 641, *mos est* Oed. 214, 639, *laus est* Thy. 527, *fas est* Phaedra 214, *haec est* Tro. 960, *nihil est*

Phaedra 558, *satis est* Phoen. 354, Med. 126, 897, Oed. 970, HO. 246, *uetus est* Tro. 43, *scelus est* HO. 481 (sic *quod sum* Phoen. 367, *non sum* Phaedra 699, Ag. 722, *non sunt* HF. 338, Med. 934, *cui sim* Med. 171, *fas sit* HF. 266, *quid sit* Thy. 269, *mala sit* Thy. 1088).

§ **54**. — Numquam apud Phaedrum constat semipes decimus ex pronomine proprie dicto (uelut *te*, *tibi*). Quod admittit Seneca, si praeeat aut praepositio aut uox unius semipedis : *infra me* Med. 520, *propter me* HO. 299, 1298, *in me* Oed. 931, *in nos* Med. 536, *ex me* Phoen. 82, 287, *pro te* Med. 479, 503, *nec tu* Phoen. 201, *mors me* HO. 13, *quis me* Oed. 807, *quid te* Oed. 1009, *quod me* Thy. 1101. Etiam tamen *horum te* Ag. 196.

Recte uides apud Phaedrum restitutum esse 133,6 *sese* pro *se*, quod in semipede decimo ferri uix deberet, etiam si praecederent semipedes nouem.

§ **55**. — Numquam posuit Phaeder in semipede decimo adiectiuum uel aduerbium demonstratiuum (uelut *hinc*, *ea*). Casu fortasse id factum est, nam leguntur eo loco apud Senecam *hic* Oed. 1003, HO. 1421, *hunc* Oed. 1038, Ag. 533, HO. 1703, *haec* Phoen. 143, Med. 1009, *hoc* HF. 952, Tro. 276, 608, Med. 204, Thy. 782, 996, 1069, *hinc* Phoen. 393.

Sed utut de casu cogitari debet, nusquam Phaeder, qui toties scripsit *haec fabella* uel *narratio*, *hoc argumentum* uel *exemplum*, ullum uersum reliquit qualem confecit Lucianus Mueller in fabula sua p. 88 « Nequis minores spernat exemplum *hoc* uetat ». Neque (§ 21), — ut Phaedro cognita fuerit illa mira Germanior quam Latinior uox *stum*, in qua Lachmann *i* fecit lucri, — emendandum est cum Muellero

115,10 Non ut labores facio, sed uti *stum* domes.

Sed spernenda est et hic et alibi uox « *stum* » pariter cum *strumentis* et *Spania* ceteraque multitudine ἀκεφάλων.

§ **56**. — Constare potest semipes decimus ex adiectiuo uel aduerbio relatiuo :

11,9 Tu non uideris perdidisse [id] *quod* petis.
79,19 Sic ualeas, inquit, ut farina es *quae* iaces.
103,9 Quod fuimus laudas [si] iam damnas *quod* sumus.
74,16 Aras frequentas ? nempe abigeris *quo*[*m*] uenis.
133,10 Hoc si praestare possent homines *ut* suo
Vellent carere.. .

Sed ea in hac re lex est, ut alio transferri uox relatiua nequeat. Vbicumque liber fuit ordo uocum, iambo ultimo praemisit Phaeder *qui prima* (50,5), non *prima qui; scirent ut cuncti* (42,3), non *cuncti scirent ut*; sic *quae luxu* 82,37, *quae ponti* 84,10, *quas celat* 65,5, *quod panem* 68,4, *quod fuerat* 119,8, *quod fuerit* 82,45, *ut nudas* 104,2, *ne segnis* 101,6, *ne laedant* 119,14, *cum fleret* 40,10, *dum captant* 30,1, *si causa* 23,4. Contrarium exemplum reperitur unum

30,7 Asinus d[e]misso pene : *Similem si* negas
Tibi me esse, certe simile est hoc rostro tuo.

in quo Pithoeum sequi nolui reponentem *Si similem*. Nam et sensui aptius est *Similem* in initio collocatum, et euphoniae syllabae *sĭ-*, *sī* non contiguae. Atque solent librarii uoces relatiuas ex enuntiato medio retrahere ad initium, non uero ab initio traducere aliorsum.

In fine uersus habet Seneca *haec quae dare* Tro. 268, *hoc quod uolo* Phaedra 604, *cum quo uelis* Ag. 203, *propter quod patrem* Phoen. 336, *ut libet* HF. 395 (cf. Tro. 596, Med. 398, 848, Oed. 72, 353, 678, Ag. 245, HO. 1861). Interrogandi est *in te quid potest?* Thy. 484.

Exitum uersus 6,7 *quia leo* eo certius agnosces esse corruptum, quo curiosius quaesieris de uoculis bibreuibus iambo sexto praepositis. Quarum exempla sunt duo non plus quibus confidas (*sine mora* 100,22, *satis erit* 114,6); nam in *nihil agens* 38,3 et *nihil habes* 74,17 ignoratur utrum praestet *nihil* pronuntiare an *nil*. Talia nusquam habet Seneca, qui (§ 68, p. 201) perraro utitur dactylo quinto.

§ **57**. — Constare potest semipes decimus ex enclitico *quis* :

38,20 [Sibi] ut puta[r]it esse nescio*quid* boni.
?43,27 Rem me professum dicet forsan [*quis*] grauem.

In posteriore tamen loco cum traditum sit *forsan aliquis*, melius cogites de *fors aliquis*. Corruptum pro *fors* legitur *forsan* Sen. HO. 574, *fortasse* Terent. Ht. 715. — Cf. apud Senecam *siquod* HF. 938, *siquas* HO. 555, 1854, *siquis* HO. 1783, 1787, *nescioquod* HF. 1147, *nescioquid* Med. 917, Phaedra 858, Oed. 925, HO. 1346.

§ **58**. — Constare potest semipes decimus ex uoce *non* :

130,4-5 Places tibi, inquit, quia cui non debes places,
Sed non impune, quia cui debes *non* places.

Cf. 2,11; 8,2; 9,3; 131,12; 133,7. In exitu uersus *non ita est* 59,9; *non rudis* 35,3. Sic Seneca *tu non fores* Phoen. 523 (cf. Ag. 799), *non potest* Med. 567, *haud queo* Phoen. 146 (cf. 338, 377, Phaedra 941).

§ **59**. — Constare potest semipes decimus ex praepositione :

3,22 Alium rogantes regem misere *ad* Iouem.
100,22 Quidam in conspectum proditurum *sine* mora.

Sic *ad* (3,27; 68,1), *a* uel *a*[*b*] (3,11; 66,1; 68,15; 124,3), *e* (95,36; ex coniectura 60,17), *in* (42,2), *cum* (37,23), *per* (63,6). Neque tamen scripsit Phaeder *paucos post dies* 18,7, uerum *post paucos dies*. — Eodem modo Seneca *in* HF. 344 et passim, *ad* HF. 1143, Phaedra 669, 1164, Thy. 900, HO. 1738, *a* Phoen. 49, 493, *e* Med. 949, Ag. 741.

§ **60**. — Semel constat semipes decimus ex coniunctione *et*, praeeunte syllaba elisa :

129,2 Quam dorso cum tulisset *inuita et* diu.

Sic Seneca, facta elisione, *et nitor* HF. 813 (cf. 1011, 1224, Tro. 520, 686, 704, 909...), *ac fera* HF. 19 (cf. 358, 381, 936,

1280, Tro. 1098, 1167...), *aut meam* HF. 428 (cf. Tro. 281, Ag. 269, Thy. 221, HO. 1730), *an patri* Phoen. 496; sine elisione, sed praeeunte uocula unius semipedis, *et metus* Phoen. 631, *et socer* Med. 546, *ac nefas* Oed. 1023, *et fides* Thy. 47, *uel scelus* Med. 515.

§ **61**. — Constat semipes decimus ex aduerbio *tum* in loco uno nulli alii comparando

8 2,10 « Ni data possideant aut fruantur »; *tum* « simul
Habere res desierint... »

Ante iambum ultimum apud Senecam scribi debet *etiamnunc* (ex. gr. Tro. 500), non *etiam nunc*. Vocibus *nunc*, *iam*, *tum*, praeit uox unius semipedis Tro. 562, 661, Ag. 177, 699, Thy. 1075. Tamen desinit uersus in *olim iam tuum* Phoen. 35, ubi sensu coniungitur *iam* cum *olim*, non cum *tuum*.

Nihil habet Phaeder quod conferas cum *o ferae* Phaedra 718, *ei mihi* HO. 1024, 1172, 1181, 1205 (de *en mare* Phaedra 1025 u. § 48).

De semipede duodecimo.

§ **62**. — Vox monosyllaba nulla in fine uersus collocatur praeter *est* uel *es* suo nominatiuo (uel aduerbio) artissime coniunctum :

15,10 Timore mortis ille tum *confessus est* (cf. 74,12).
102,4 Tace, inquit; ante hoc noui quam [tu] *natus es*.
59,9 Tamen illa est potior quae te peperit. — Non *ita est*.

Sic *amicus est* 89,7 (cf. 94,4; 95,23), *factus est* 72,6 (cf. 24,1), *fiducia est* 112,5, *miserita est* 59,16, *traditum est* 26,4, *parum est* 41,22...; dubitari potest de *narratio est* 13,2. — Traditur

15,18 Quorum *stultitiae* quaestus *inprudentia* (= *inpud*-) *est*,

ubi postulat sensus nominatiuo casu *stultitia*, datiuo casu *inpudentiae*. Ego igitur *est* reposui in medio uersu : *stultitia est quaestus inpudentiae*. Fatendum est tamen posse uoculam *est*

etiam in ultimo pede coniungi cum casu obliquo, ut ex Seneca fit perspicuum. Apud Senecam habemus in exitu uersuum *ausus est* HF. 1162, HO. 939, *tempus est* Med. 692, *ignorantia est* Oed. 515, *incredula est* HO. 1979, *Ilium est* Tro. 911, *Herculem est* HO. 940, *ultio est* Med. 25, *hostia est* Thy. 718, *Tartara est* Thy. 1013, *incluta est* HO. 882; — *bona est* Phoen. 378, *noua est* Med. 448, *uia est* HF. 55, Phaedra 1239, Ag. 109, 154, *fera est* HO. 236, *data est* HO. 1820, *mea est* HF. 383, Phoen. 55, HO. 1242, *mora est* HF. 1171, Tro. 787, Ag. 426, *quota est* HF. 1191, Med. 896, *parum est* Thy. 257, *bonum est* Thy. 205, 449, *malum est* HF. 952, Phaedra 637, 697, HO. 824, *datum est* Thy. 899, HO. 1806, *meum est* HF. 1268, Med. 230, 1004, *tuum est* Med. 921, *graue est* Tro. 909, Phoen. 598, *leue est* Phoen. 368, HO. 59, 405, *homo est* Tro. 298, *domo est* Ag. 924, *loco est* Tro. 997, Phoen. 629, Phaedra 358, Oed. 274, 834, Ag. 152, *meo est* Phaedra 711, *manu est* Phoen. 454, Oed. 865, *statu est* Phaedra 435, *mei est* Thy. 906, *mori est* Phoen. 79, *tibi est* Phoen. 288, Med. 976, HO. 1258; — *quid est* Phoen. 205, *quis est* HO. 1206, 1351, *sat est* Tro. 56, 475, Oed. 938, HO. 870, 1354, 1826, *sat es* HO. 1858. Etiam leguntur qualia Phaeder non adhibuit : *quid hic* Phoen. 234, *et hic* Phaedra 713, *et hinc* Phoen. 495, *ad hos* Tro. 42, *in hanc* Med. 125, *sub hoc* Oed. 1016.

De pede primo et de concursu semipedum bibreuium.

§ **63**. — *De elisione ante pedem primum.* — Obseruauit Lucianus Mueller in uersus initio apud Phaedrum elidi non solere uocem monosyllabam. Itaque cum habeant codices

93,2 *Quam opprimere* captans alapam sibi duxit grauem,

restituit uir doctissimus *Quam premere*, sed uix recte ut opinor. Paucos enim post uersus pro *qui addideris* legitur *quia dederis*, quod ex *qui addederis* ortum ostendit simplicius corrigi posse, immo cum Perotto legendum esse *Quam opprimere*. Vnicum sane illud elisionis exemplum, ut in toto Vergilio (si catalecta excipis) unicum est *Si ad uitulam* Buc. III 48. At sic non

modo in scazontibus Catullus, *Me una* 37,8, *Si urbanus* 39,10, uerum etiam in trimetris Seneca sedecies : *Si aeterna* HF. 362, *Si incesta* Phaedra 1185, *Cum occidis* Phoen. 35, *Cum examen* Oed. 602, *Dum extrema* Med. 289, *Dum et mater* 948, *Tum effossa* Oed. 550, *Num audita* 697, *Iam erepta* Tro. 418, *Iam et matris* Phoen. 37, *Iam exisse* Med. 281, *Te imperia* Phaedra 618, *Qui alterna* HF. 593, *Qui aduexit* 604, *Quae Europam* Ag. 274, *Quam in luce* HO. 990. Ita multae sunt hae elisiones, ut amoueri nequeant; simul ita paucae, ut apud scriptorem alterum, cuius pars operis nobis seruata breuior sit, unam tantummodo reperiri non mireris. Praestat ergo mutare aut nihil (u. ad 15,4), aut solam uocis *opprimere* uocalem.

Inconsultius tamen nolui in coniectando agere. Quare cum primum propter illud *etiam* codicis *D* (14,9) scribere uoluissem

14,8 *Si* [*et*] uocem haberes nulla prior ales foret,

opinionem reieci quamuis arridentem.

§ **64**. — *De uoculis prosodiae ancipitis.* — Vbicumque uox modo iambica modo bibreuis, qualis *tĭbī tĭbĭ*, in uersus initio ponitur, ea semper corripitur ante longam, producitur ante iambum. Ante longam corripitur, quia puto Phaeder imitabatur morem non necessarium sibi, sed necessarium illis qui (ut Seneca) secundum pedem non admittebant nisi purum. Coactus Seneca scripsit ex. gr. *Tibĭ* HF. 1231, *Vidĕn* Phoen. 394, *Sciŏ* 303, *Patĕ-facta* HF. 55; non coactus Phaeder

10,1 *Sibĭ* non cauere...
113,17 *Sibi* quisque metuit...
119,20 *Sibi* quemque cogens...
30,8 *Tibĭ* me esse, certe...
62,11 *Tibi* forma, uires...
70,18 *Tibi* dico, auare...
13,5 *Ibĭ* dum ramosa...
124,9 *Ibi* sorte tristi...
17,7 *Vbĭ* uos requiram...
100,1 *Vbi* uanus animus...
119,27 *Vbi* nuntiatum est...

77,17 *Mihĭ* (nisi fuit *Mi*) parta laus est...
22,4 *Leŏ* cum iaceret...
72,1 *Homŏ* doctus in se...
75,28 *Homo* perturbatus...
92,13 *Sciŏ* quam uirtuti...
129,6 *Scio* quem lacessam...
50,3 *Vidĕ* ne dolo[n]e...
115,14 *Vide* ne querela...
84,11 *Patĕ*-fecit in perniciem...

Ante iambum producitur uox anceps, ex necessitate et in senario et in trimetro eadem :

37,7 *Tibi* paratur, forsan et miserae mihi.
38,4 *Sibi* molesta et aliis odiosissima.

Rectius igitur L. Mueller in fabula sua p. 95 *Dabō repletum*... quam in ipso Phaedro 104,5 *Tibī quam partem*....

Ab re metrica suspectum non est

88,6 *Mihi*-que inuisa, ut non offendar subripi,

nam sic Seneca *Sibī-que* Oed. 767. Aliae causae fuerunt cur *Mihi usque* reponerem.

Ante breues duas corripuisset puto Phaeder uoces ancipites; sic *Vbĭ dŏmĭnus* Seneca Ag. 280 (cf. Tro. 572, Apocol. 7), *Tĭbĭ pătrĭa* Med. 488. Sed exempla desunt genuina; fide omnino caret codicum proceleusmaticus *Hŏmŏ sĭmŭl ac uenit*... 86,1.

§ **65**. — *De proceleusmatico et pede tribreui in sede prima.* — Proceleusmaticum pedem ueteres editores ne prima quidem sede admittebant, itaque pro *Ită căpŭt* 31,11 repositum est olim tribrachys uitiosissimus *Căpŭt ĭ*-ta. Contra Lucianus Mueller tribrachyn ab hac sede prorsus alienum iudicat, in qua re metuo ne non minus praue quam priores egerit uir summus.

Sane per leges omnibus pedibus communes excluditur tribrachys qualis *Căpŭt ĕt* uel *Căpŭt ĕ*-rit, item tribrachys qualis *Căpĭtĕ*. Atque non habent *PRNV* in uersus initio *Mŭlĭĕ*-re, *Mŭlĭĕ*-rem, quamquam facile inuenire est tales eodem in loco iambos, *Rĕdī*-re, *Păuō*-rem, et in sede secunda ipsum eiusdem formae tribrachyn, *lĭbŭĕ*-rit 33,9, *ăuĭdĭ*-tas 34,12, *ĭnĕdĭ*-a 37,23, *Tĭbĕrĭ*-us 38,7, *făcĭlĭ*-us 51,13, *sŭpĕrĭ*-us 75,2, *dĭŭtĭ*-us 76,14, *sĭmĭlĭ*-ter 79,15, *tĕmĕrĭ*-tas 94,12, *ŏpĕrĭ*-bus 97,5, *cĕlĕrĭ*-us 113,28, *rĕfŭgĭ*-ens 115,7; item eundem tribrachyn in sede tertia, *mĕmŏrĭ*-a 54,8, et in quarta, *mĕmĭnĕ*-rit 1,7, *rĕmĕdĭ*-um 36,3, *ăbĭgĕ*-ris 74,16, *cĕlĕrĭ*-us 76,14, *căpĭtĭ*-bus 83,5 (relinquo incertiora : in secunda sede *relicuis* uel fortasse *rellicuis* 32,13, *relicuas* 48,2, *reliquias* 118,8, *religio* 57,8, *Pater-familias* 54,48

et 115,1; in quarta sede *petierunt* 54,39 et 72,18, *relicuom* 75,12). Sed quod aliqua pedis forma uel casu uel propter poetae consilium non apparet, non ideo comprobatur ipsum pedem ex industria excludi. Itaque uidendum est annon tribrachyn aliter conformatum admiserit Phaeder.

§ **66**. — Tribrachyn constantem ex uocula monosyllaba breui et syllabis breuibus aliis binis praebent codices in tribus locis. Quorum exemplorum unum recte, opinor, Lucianus Mueller sustulit correcto Perottino *Per* in *Post* :

118,1 *Per aliquot* annos quaedam dilectum uirum
Amisit et sarcophago corpus condidit.

Suspectum enim *Per* propter sensum. Sed remanent duo exempla per se optima et inter se simillima :

33,2 *Nec aliud* quicquam[1] per fabellas quaeritur.
107,17 *Et ali*[*a*]*m* ridens ipsa ridenda extitit.

Quibus ego ex coniectura libens addiderim tertium :

77,6 [*An alii* id] ipsum cupia[nt] famae tradere.

Talem tribrachyn cur fugiat Lucianus Mueller, qui tolerat proceleusmaticum, equidem non uideo. Vt enim Phaeder modo incipit ab iambo modo ab anapaesto, ut *Et explorato* 3,18, *Prior inuitasse* 27,4, quid uetat quin iambo soluto et anapaesto soluto promiscue utatur? Sic Plautus modo *Quid igitur* (Amph. 62), modo *Propera igitur* (Ep. 515); Terentius modo *In Asiam* (Heaut. 117), modo *Sed in Asiam* (Heaut. 111). Sic Seneca modo *Mouet animus* (Tro. 1146) uel *Vide ut animus* (Tro. 945), modo *Quid anime* (passim), *Bene animus* (Phoen. 155). Anne res per numerum exemplorum diiudicanda est? Duplex ut dixi seruatus est in codicibus tribrachys (*Nec aliud*, *Et aliam*); unicus in iisdem codicibus exstat proceleusmaticus, qui iure comparari possit :

74,18 *Super etiam*[2] iact[a] tegere quod debet pudor.

1. Sic incipit u. Plauti Stich. 257.
2. Similes proceleusmaticos habemus apud Senecam Tro. 36, 168, 1146, Phoen. 352, Med. 670, Phaedra 161, HO. 1743.

Nam incertissimus est uocis *Nihil* uel *Nil* sonus in

61,13 *Nihil agere* quod non prosit fabella... (cf. 74,1),

ubi ipse Mueller, ut semper, *Nil* scribere maluit. Atque sicut ille tertius tribrachys *An alii*, ita ex coniectura secundus proceleusmaticus est nostra :

50,9 [*Satis*] *ubi* tricandum et ubi [sit] currendum scio.

Sunt quidem alii proceleusmatici, sed qui in eandem rationem arithmeticam deduci non debeant:

31,11 *Ita caput* ad nostrum furor illorum pertinet.
51,18 *Quia uideor*[1] acer, alligant me interdiu.

Hic enim incipit altera uox a consonante; at tribrachys, qui similiter sit conformatus, nullus fieri potest Latine. Nempe in ea lingua nulla uocula monosyllaba breuis desinit in uocalem, qualia sunt monosyllaba Graeca τό, τά, ὅ, ἅ, μά.

§ **67**. — Tribrachys constans ex uoce disyllaba elisa et duabus syllabis breuibus, ut puta *Ita hŏdĭ*-e, nusquam reperitur; bis contra traditur, qui apud Senecam sine exemplo est, proceleusmaticus incipiens a uoce trisyllaba elisa :

46,4 *Alii onerant* saxis ; quidam contra miseriti.
88,12 *Itaque hodie* nec lucerna[m] de flamma deum.

Quod fortasse quis fauere putabit seueritati Muelleranae sententiae, praesertim cum in initio uersuum, sequente syllaba longa, aliquanto plura sint exempla elisae uocis iambicae aut bibreuis quam uocis anapaesticae aut tribreuis. Sed qui in prima sede non tribrachyn hunc uel illum uult esse proscriptum, uerum omnino cuiuslibet generis tribrachyn, necesse est statuat ipsum per se exstare ut ita dicam pedem, eiusque fuisse in Phaedri mente imaginem ac uelut ἰδέαν informatam absolutam et unicam, quod neque credo neque ante demonstrationem

1. Similes proceleusmaticos habemus apud Senecam Tro. 572, Phoen. 44, 221, Med. 488, Ag. 280, Thy. 289, Apocol. 7 u. 11 (incerta sunt exempla a *Mihi* incipientia, Tro. 413, 457). Nusquam reperitur apud Senecam in uersus initio uocula bibreuis post bibreuem, ut *Ita caput*.

factam sum crediturus. Atque idem necesse est lectionem codicum immutet in gemino illo exemplo *Nec aliud...*, *Et aliam...* Quanto ueri similius est per merum casum esse effectum ut semipedi bibreui, incipienti a uocali uel *h*, praeiret bis uocula monosyllaba breuis (*Nec*, *Et*), semel uox anapaestica (*Alii*), semel uox tribreuis (*Itaque*), semel uocula bibreuis in consonantem desinens (*Super*), ne semel quidem uox aut bibreuis aut iambica desinens in uocalem!

§ **68**. — Ceterum, ut de Phaedro recte iudicetur, comparandi sunt ut uidetur uersus comicorum ueterum. Apud eos saepe incipit uersus iambicus (siue senarius siue septenarius siue octonarius) a pede tribreui inter duas uoces diuiso, quem nos etiam apud Phaedrum fuisse legitimum putamus : sic *Vt alius* Curc. 378, *Quid aliud* Merc. 568, *Quid alias* Andr. 529, *Et alia* Rud. 8, *In aliud* Eun. 846, *Per alium* Heaut. 470, *Quid igitur* Amph. 62, Mil. 532, Most. 668, St. 253, Ad. 746, Eun. 46, Heaut. 818, Ph. 924, *Vt abigas* Amph. 979, *In Ephesum* Bacch. 776, *Is Helenam* Bacch. 948, *Is etiam* Ep. 524, *Sed etiam* Capt. 53, Most. 995, *Is hodie* Poen. 121, *Et operam* Rud. 24, *Quot adeo* St. 212, *Quod habui* Andr. 39, *Vt animum* Andr. 56, *Vt animus* Andr. 303, *Is obiit* Andr. 223, *Sat habeo* Andr. 705, *In animo* Ad. 818, *Quid agitur* Ad. 901, *Id equidem* Eun. 323, *At etiam* Eun. 1011, *Vt aliqua* Heaut. 42, *In Asiam* Heaut. 117, *Quot homines* Ph. 454, *Vel oculum* Ph. 989, *Quid oneris* Merc. 673, *Id ego* Amph. 933, Andr. 508, *Quid ego* Most. 531, *Quid ita* Poen. 705, *Is adulescentis* Aul. 35, *Vt adoriatur* Mil. 1390, *Sed aperiuntur* Persa 80, Trin. 400, *Et id ego* As. 76, *Vt ad id* Mil. 400; — *Dabo aliam* Ps. 525, *Neque aliud* St. 257, *Cedo alios* Eun. 776, *Vbi alii* Eun. 780, *Nisi etiam* Amph. 902, *Tibi habeas* Amph. 907, *Bono animo* Amph. 1131, Rud. 872, Ad. 511, *Bonum animum* Ps. 867, Rud. 687, *Scio equidem* As. 842, *Ego adeo* Bacch. 829, *Ego animo* Bacch. 1015, *Vbi habitat* Cist. 578, *Vbi habitet* Ep. 505, Merc. 561, *Neque adeo* Men. 21, Ps. 398, Trin. 181,

Meum animum Merc. 572, *Date operam* Mil. 98, Eun. 44, Ph. 30, *Neque equidem* Mil. 831, *Bonam abeat* Mil. 1126, *Ita animus* Mil. 1261, *Quia hodie* Most. 1004, *Sibi habeat* Persa 164, *Domum abeant* Poen. 25, *Dabo hodie* Poen. 169, *Mihi emere* Ps. 89, *Ego hodie* Rud. 1195, *Probe. :: Hodie* Andr. 418, *Seni animam* Ad. 314, *Domi habuit* Ad. 413, *Fore animi* Ad. 666, *Heri aliquot* Eun. 539, *Neque edepol* Eun. 867, *Probe* uel *Bene edepol* Eun. 916, *Ea obiit* Heaut. 271, *Nisi aliquid* Heaut. 670, *Ego hominem* Ph. 591, *Putem ego* As. 838, *Idem ego* Men. 484, St. 644, *Item ego* Ps. 872, *Famem ego* St. 155, *Homo ego* Trin. 447, *Bene ita* Eun. 1037, *Dari ut eum* St. 444, *Quasi ad adulescentem* Trin. 771, *Vbi initiabunt* Ph. 49.

At multo rarior est tribrachys una uoce formatus. Nam praeter composita ut *Ab-alienarit* As. 765, *Ab-alienare* Trin. 513, *In-opia* Merc. 30, Andr. 71, *Pro-pitiam* Poen. 454, *Re-pudio* Andr. 733, *Re-cipere* Eun. 898, *Re-licuom* Eun. 996, *Re-trahere* Ph. 2 (de prosodia in *re-* semper subdubitare licet), et nomina propria *Diabolus* As. 751, *Gelasimo* uel *-me* St. 174 et 239, *Sagarinus* St. 441, *Myconium* Hec. 433, *Epidicazomenon* Ph. 25, *Macedoniensem* Ps. 1041, perpauca exempla supersunt : *Facilius* Cist. 715 et Rud. 26, *Sequimini* Curc. 461 et Merc. 782, *Miserior* Merc. 700. In *Mediocriter* Heaut. 286 primum pedem puto esse anapaestum, nam *mediŏcris* nisi fallor contractum est ex *mediŏ-ŏcris*. Ille autem tribrachys, qui apud comicos ita rarus est, in Phaedri *PRNV* nusquam inuenitur.

Apud Senecam constat tribrachys primus paulo saepius ex binis uocibus quam ex uoce singulari. Exempla sunt *Vt alia* Tro. 234, *In alia* Oed. 1017, *Stat auidus* Tro. 22, *Quid agimus* Tro. 642, *Et Hecuba* Tro. 908, *An aliqua* Tro. 973, *Quid anime* Med. 895 et 937, Oed. 1024, Ag. 915, Thy. 423, HO. 842, 1828, *Et odia* Phaedra 575, *Vt agilis* Phaedra 644, *Quis habitus* Phaedra 1035, *Sed agere* Ag. 959, *Quid odia* HO. 298, *Quid agis* Tro. 607 ; — *Bene animus* Phoen. 155, *Vbi animus* Ag. 144, *Age anime* Thy. 192 ; — *Per-*

agite Tro. 680, *Repudia* Med. 53, Ag. 283, *Profugere* Med. 172, 272, *Remedia* Med. 433, *Perimere* Med. 490, *Memoria* Med. 556, Oed. 818, *Trigemina* Oed. 278, Ag. 14, et secundum Senecae prosodiam *Obicere* Med. 497[1].

Vides, ubi diuiditur tribrachys inter duas uoces, multo saepius priorem esse monosyllabam, ut *Stat*, quam disyllabam cum elisione, ut *Ben*[e]. Vnde perspicuum fit casu tantummodo effectum esse, ut apud Phaedrum inueniatur *Et aliam*, non *It*[a] *aliam*. Sed ex numero exemplorum ex Seneca petitorum aliud quoque de Phaedro discendum est.

Solet Seneca per uocem disyllabam claudere trimetrum: sic *mihi*, *Iouem*, *poli*, *face*. Raro igitur collocat in uersus exitu uocem qualem *aetheris*, *caelites*, *exsequi*, *pectore*, perraro uocem eiusdem mensurae tetrasyllabam; nam exempla non reperiuntur alia quam *memoria* HF. 408, Med. 268, Oed. 847, *facinorum* Med. 266, *arietis* Med. 471. At Phaedri leguntur senarii plus minus centum tali uoce terminati. Ergo minime mirum est incipere a uoce simili apud Senecam uersus 14, in Phaedri *PRNV* ne unum quidem uersum. Neque inde colligendum est fuisse Phaedro odio, ut putauit Lucianus Mueller, tribrachyn primum, neque magis fuisse eundem pedem delectationi Senecae, uerum ab utroque poeta collocatas esse quasdam uoces ibi, ubi facillime poterant collocari. Vltima sede alter potius usus est, prima alter, prout haec praesto erat aut illa. Nam saepius pendet poetarum consuetudo (quod metricos nostros plerumque fugit) aut ab necessitate aliena, aut ab legibus ab re diuersis, quam a uoluntate sui conscia et in rem ipsam intenta.

Ceterum seruauit Ademarus (u. infra p. 275 et cf. *rĕticebo* 127,3) integrum ut uidetur exemplum illius pedis tribreuis, quem in textu codicum *PRNV* (nisi forte uelis legere 67,7 *Nĭmĭăque...hilaritas*) frustra quaeras:

Rĕtĭcŭ-it ille, gemitu testatus deos.

1. Paulo incertius est *Pelopĭa* Ag. 194: cf. *Pelopĭae* Ag. 7, Thy. 641, *Pelopĭa* Ag. 165, *Pelopēa* Med. 891, Thy. 22. De *Disicite* Phoen. 343, *Disicere* Ag. 896, u. § 84.

§ **69**. — Vox *beneficium* ubi in uersus initio legitur, ut

59,13 *Beneficium* sane magnum natali dedit,

sunt qui pro proceleusmatico (*bĕnĕ-fĭcĭ-*) uelint dactylum (*ben-fĭcĭ-*) : u. § 79. Sed similiter informatus est proceleusmaticus apud Senecam Phaedra 1275, *Pătĕ-făcĭ-te*.

§ **70**. — *De proceleusmatico extra sedem primam.* — Pes proceleusmaticus, qui in sede prima plerumque incipit a uoce bibreui (*Ita* caput, *Super* etiam), in tertia sede eodem modo informari nequit. Corruptus enim, ut § 10 diximus, legitur in *PR* uersus

75,22 Repente cum *dŭŏ iŭuĕ*-nes sparsi puluere.

Talem proceleusmaticum scribere nec Phaedro nec Senecae per suas leges licuit. Etiam de emendando *mĭhĭ pătĕat* 114,12 u. § 10.

Sed haerendum non erit, siquando apud Phaedrum siue ex paraphrasta siue ex codice nunc ignoto proferetur uersus talis, *Inutilis quŏnĭam ădĕrat...*, in quo constet proceleusmaticus tertius ex uoce anapaestica uel tribreui elisa et altera uoce.

Potest contineri proceleusmaticus tertius in una uoce composita (uelut in initio uersus scripsit *Pătĕ-făcĭte* Seneca Phaedra 1275) :

88,3 Onustus qui *săcrĭ-lĕgĭo* qum discederet.

Hanc optimam lectionem corruperunt plerumque editores, quia neque apud Phaedrum neque apud Senecam alterum reperitur proceleusmatici tertii exemplum ; exempla enim metrici libentius quaerere solent quot sint quam quot exspectentur.

Sed facile quiuis uidet, modo considerarit quales in tertia sede anapaesti uel dactyli in proceleusmaticos conuerti possint (uelut si reponamus 3,23 *quoniam aderat* pro *quoniam esset*, uel 3,27 *sacri-legio* pro *Mercurio*), felici casu euenisse ut

etiam uno in uersu praesto sit pes rarissimus. Qui etsi in textu omnino deficeret, non deberet existimari a poetis consulto exclusus. — Publilius modo prorsus simili : *Ingrata sunt bĕnĕfĭcĭa qui*[*s*] *comes est metus.*

§ **71**. — In sede quinta proceleusmaticus fieri potest si uoci paeonicae praeponatur aut uocula bibreuis sine elisione (sic, *sĭnĕ mĕmŏ*-ria ; item, *ĕrĭt hŏmĭ*-nibus) aut uox longior cum elisione (sic, con-*sĭlĭo hŏmĭ*-nibus). Neutrum proceleusmatici genus reperitur apud Senecam, qui in exitu uersuum non posuit *mĕmŏrĭa* uel *făcĭnŏrum* nisi post uocem semipede longiorem, *ărĭĕtis* autem in exemplo unico syllabae longae subiecit (u. § 68).

§ **72**. — Apud Phaedrum quod prior proceleusmatici forma in codicibus reperitur nusquam, id effecit casus. Nam constat semipes nonus ex uocula non elisa in uersibus fere 89 ; ex iis habent 6 uoculam bibreuem, 83 uoculam monosyllabam longam[1] ; ex his 83 uoculis monosyllabis sunt 54 quae tantummodo ante consonantem produci possint (ut *uim*, *me*, *ĭn*), sunt 29 quae etiam possint poni ante uocalem uel *h* (ut *sīs*, *Mars*). Semipes autem decimus, ubi cum noua uoce incipit, constat ex una syllaba longa aut ex breuibus geminis ; incipit illa syllaba longa a consonante locis fere 557, a uocali uel *h* locis 173[2] ; incipit illud breuium par a consonante locis 97[3], a uocali uel *h* locis 11. Per artem igitur arithmeticam facile computatur quomodo uersus illos 89, in quibus constat semipes nonus ex uocula non elisa, inter uaria genera distributos inueniri oporteat, si solus in hac re uersatus sit casus. At ex tabula subiecta apparet paulo plures esse spondeos et anapaestos quam exspectemus, paulo contra pauciores dactylos et proce-

1. Locos non adnumeraui in quibus potest confundi *est* cum uoce praecedenti, uelut *tantum est* uel *tantumst praemium* 70,9, *mansuetudo est* uel *mansuetudost remedium* 115,15. — Vellem sic factum etiam in altera tabula (p. 205).

2. Non adnumeraui 38,2 ; 54,10 ; 83,8 ; 110,5, ubi semipes nonus corripitur.

3. Non adnumeraui 38,3 et 74,17, ubi incertum est utrum proferri debeat *nĭhĭl* an *nil*.

leusmaticos ; proceleusmatici pedis tamen non exspectari plus quam, si ita loqui fas est, dimidium exemplum ; itaque tum demum reperiri debere integrum exemplum, ubi nouo Phaedri codice inuento numerus uersuum erit duplicatus.

GENERA VERSVVM	EXEMPLA		EXEMPLA EXSPECTATA	
...*mē līminis*	50	54	$54 \times \frac{557}{557 + 97}$	= 46.0
...*mē făcĭnoris*	4[1]		$54 \times \frac{97}{557 + 97}$	= 8.0
...*sīs līminis*	18	29	$29 \times \frac{557}{557 + 173 + 97 + 11}$	= 19.3
...*sīs ūtilis*	6		$29 \times \frac{173}{557 + 173 + 97 + 11}$	= 6.0
...*sīs făcĭnoris*	5[2]		$29 \times \frac{97}{557 + 173 + 97 + 11}$	= 3.3
...*sīs hŏmĭnibus*	0		$29 \times \frac{11}{557 + 173 + 97 + 11}$	= 0.4
...*mălĕ līminis*	3[3]	3	$3 \times \frac{557}{557 + 97}$	= 2.6
...*mălĕ făcĭnoris*	0[3]		$3 \times \frac{97}{557 + 97}$	= 0.4
...*ĕrĭt ūtilis*	3[4]	3	$3 \times \frac{173}{173 + 11}$	= 2.8
...*ĕrĭt hŏmĭnibus*	0		$3 \times \frac{11}{173 + 11}$	= 0.2

1. *Quem celeriter* 14,10, *quis uoluerit* 61,8, *ne tim[ueris]* 131,5, *cum malefico* (§ 79), 88,20.
2. *Sint reliquiae* 45,6, *uult ualidius* 25,9, *non petierint* 33,15, *non tribuerit* 62,2, *huic similiter* 49,6.
3. *Bene praedicas* 135,10, *male diceret* (uel *malediceret?*) 130,1, *quia [rex meast]* 6,7. — Corruptum est *fera societas* 121,7.
4. *Ruit Ilium* 51,4, *erit utilis* 58,11, *foret a molis* 124,3.

§ **73**. — Altera proceleusmatici forma, id est proceleusma-

ticus elisione distinctus, exstat in exemplo uno, quod seruare debuerant editores :

106,10 Haec qui negauit magno con-*sĭlĭo hŏmĭ*-nibus.

Neque enim exspectari plus exemplo uno docet ars arithmetica. Supra diximus esse uersus 173 tali exitu : *ŭtĭlis* ; 11 autem tali exitu : *hŏmĭnibus*. Reliquos numeros quibus hic utendum est satis erit indicasse in ipsa subiecta tabula :

GENERA VERSVVM	EXEMPLA		EXEMPLA EXSPECTATA	
...natūra ŭtilis	116	120	$120 \times \frac{173}{173 + 11}$	= 112.8
...natūra hŏmĭnibus	4 [1]		$120 \times \frac{11}{173 + 11}$	= 7.2
...cunctās ŭtilis	44	50	$50 \times \frac{173}{173 + 11}$	= 47.0
...cunctās hŏmĭnibus	6 [2]		$50 \times \frac{11}{173 + 11}$	= 3.0
...consĭlĭo ŭtilis	13 [3]	14	$14 \times \frac{173}{173 + 11}$	= 13.2
...consĭlĭo hŏmĭnibus	1		$14 \times \frac{11}{173 + 11}$	= 0.8

1. *Decepta auiditas* 5,5, *tensum habueris* 58,10, *ipse alueris* 88,16, *infixo aculeo* 134,8.
2. *Luctus habuerint* 13,15, *conceptum est initium* 19,7, *cautis hominibus* 26,1, *macrens hariolos* 47,6, *priores abierunt* 70,16, *prosunt hominibus* 109,1.
3. *Asinum euocat,* 12,11, *simile accidat* 68,18, *gemitum exprimunt* 70,22, *puteum inscia* 86,3, [*ueniam*] *aestimat* 100,34, *exitium inuenit* 32,2, *progeniem opprimat* 37,10, *continuo impetrant* 68,21, *continuo excreat* 113,9, *propositum ordinem* 71,9, *materia impetum* 75,7, *imperio improbo* 98,2, *benefici*[*um*] uel *benfici*[*um*] *util*[*e*] 76,18.

§ 74. — Diximus numquam constare semipedem tertium aut septimum ex bibreui uoce (ut *mălĕ*) aut etiam uocis umbra (ut *mălĕ*-dixi). Vnde sequitur hoc, neque secundum pedem neque quartum esse posse proceleusmaticum. Ea enim

proceleusmatici esse uidetur lex, ut breues quaternae diuidantur in bis binas, siue geminae ponuntur uoces ut *ita caput*, siue uox una composita ut *sacri-legio*; itaque nullo modo Phaeder uerum proceleusmaticum poterat locare sede secunda uel quarta. Qui si scripsisset tales uersus, *Mores mŭlĭĕrĭbus non sunt alii quam uiris*, uel *Num tu secreta uis mŭlĭĕrĭbus credere*, breues sane quaternas agnouissent, nullo modo tamen pedem proceleusmaticum, qui legitimum sonum aure callebant. — Proceleusmaticum secundum *nĭsĭ dĕdĕ*-ris dixi § 34 esse manu Perotti illatum.

§ **75**. — Phaeder igitur non magis quam Plautus aut Terentius attribuit pedi proceleusmatico sedem certam, sed ibi eum posuit ubi ponere poterat, id est in sedibus imparibus omnibus; in paribus proceleusmatico ideo abstinuit quia eo uti nequibat. Itidem Seneca reiecit eum pedem a sedibus paribus, quia sic iubebat lex Graeca de pedibus puris. In sedibus autem imparibus omnibus paratus erat, opinor, Seneca ut sine dubitatione admitteret, quamquam reuera in sola sede prima admisit; neque enim ulla ratio excogitari potest cur aliter informari aequum sit pedem primum, aliter tertium aut quintum. Haec credo intellegent qui sciunt inuestigandas esse non res tantummodo, sed etiam rerum causas.

§ **76**. — *De dactylo ante anapaestum collocato.* — Apud Senecam prohibet lex, quae binos deinceps impuros pedes reicit, ne anapaesto umquam praeeat dactylus, unde fiat qui huius temporis hominibus dicitur trochaicus proceleusmaticus. Auribus tamen non displicuisse sonum breuium quaternarum, semipedes binos aequantium, testis est uersus Thy. 1052, ubi praeit anapaesto quinto tribrachys : « Sceleri modus debe-*tur ŭbĭ făcĭas* scelus. »

In qua re Seneca solus non fuit. In senario subicit dactylo anapaestum ille qui argumentum Cistellariae conscripsit : « *Comprĭmĭt ădŭle*-scens Lemnius Sicyoniam ». Qui ueteres

imitabatur, uelut Asin. 634 « *Quas hŏdĭe ădŭle*-scens Diabolus ipsi daturus dixit »; Rud. 941 « *Nil hăbĕo, ădŭle*-scens piscium, ne tu mihi esse postules »; Bacch. 148 « *O bărătrum ŭbĭ nunc* es; ut ego te usurpem lubens »; Trin. 804 « *Contĭnŭo ŏpĕri*-to denuo; sed clanculum »; Heaut. 502 « Continuo *hic ădĕro. Ită quae*-so : di uostram fidem »; Rud. 43 « Eam uidit ire e lu-*do fĭdĭ-cĭnĭo* domum »... Neque a uersibus trochaicis alienus erat olim pes proceleusmaticus : Aul. 168 « Clamores, im-*pĕrĭa, ĕbŭ*-rata uehicla, pallas, purpuram »; Capt. 493 « Qui con-*cĭlĭum ĭnĭ*-ere quo nos uictu et uita prohibeant »... Haec et alia exempla dicet quis forsitan esse corrupta, aut ita pronuntiari debere ut pro breuibus binis substituantur singulae longae; sic pro *bĕnĕfĭcium* multi efferri uolunt *benficium* (§ 79); sic cum legatur Most. 383 in trochaicis « *Cĕdŏ sŏlĕas* mi ut arma capiam, iam pol ego occidam patrem », item in iambicis Truc. 363 « Vellem si fieri posset. *Cĕdŏ sŏlĕas*, puer », cogitari potest aut de disyllabo *soleas* aut etiam de monosyllabo *ced* pro *cedo*, cui uoci respondeat numero plurali uetus illa forma *cette*. Sed fac omnia exempla esse ab ipso Plauto abiudicata; in Plautinis tamen libris inueniebantur; praesto erant auctori argumentorum, praesto erant Senecae; etiam incredibiliora inuenerat in ueteribus tragoediis Cicero (Or. 153) et pro genuinis habuerat. Ergo cauendum est ne nos apud poetas recentiores id emendemus praepropere, quod illi a uetustioribus aut mutuati sunt aut sibi saltem uisi sunt mutuari. Seneca cur quaeso in genere iambico abstinuerit ab anapaesto post tribrachyn collocato, qui contra morem Graecorum, secundum morem autem Plauti, Ennii, Attii, admittit in genere anapaestico atque in uno eodemque monometro anapaestum dactylo subiectum (HF. 1064, HO. 186, 1883)? nam Aeschylus Eum. 950 posuit in fine unius monometri dactylum, in alterius initio anapaestum.

§ 77. — Vt in Seneca, itidem in Phaedro decet esse cautiores qui ex mente sua mentem alienam solent diuinare. Itaque

non sollicitandus est uersus unicus, in quo dactylus praeit anapaesto quarto :

43,6 Nec quicquam pos-*sunt nĭsĭ mĕlĭō*-res carpere.

Quem uersum multi aut corrigere conati sunt aut etiam ex textu eiecerunt, nulla causa nisi quod anapaesto praeibat dactylus. Sed ipse se uersus tuetur, siquis de rebus metricis sine ira et studio iudicare consueuit. Neque ideo suspectus est quod est unicus. Nam ante anapaestum quartum reperitur uocula bibreuis hoc solo loco, uocula monosyllaba octies (*ne* 26,4; 61,7; *si* 59,11; *non* 82,32; *quod* 83,7; 95,30; *sed* 103,5; *res* 72,11); at etiam in quolibet alio semipede facile inuenias uoculas monosyllabas octonas pro bibreuibus singulis; exempli gratia in fabulis 1-32 in initio uersuum sunt uoculae 12 quales *ĭtă*, 106 quales *haec*; in uniuersis fabulis habent 37 uersus semipedem octauum qualem *ĭtă*, 335 qualem *mens*.

§ **78**. — Anapaesto secundo aut tertio quod nusquam praeit dactylus, hoc casu factum crediderim. Nam cum ante anapaestum secundum reperiatur uocula monosyllaba semel (Lutum *ad făcĭendos*... 108,11), ne semel quidem seruatam esse uoculam bibreuem itidem collocatam quis miretur? Ante anapaestum tertium reperitur quinquies uocula monosyllaba, numquam uocula bibreuis. Sed ut opinor suspicio non erit legitima, siquando inuento deperditarum fabularum codice proferetur uersus talis: *Nunc ĕgŏ făcĭen*-dos..., Quae uul-*pem mŏdŏ rĕuŏcas*-set..., Secu-*ris mălă quŏnĭam es*-set....

§ **79**. — Nunc uidendum est utrum admittatur necne apud Phaedrum praeeunte dactylo (uelut apud Senecam praeeunte pede tribreui) anapaestus quintus. Suspectum erit multis exemplum unum uoce composita informatum

23,8 Noli [im]putare ua-*num bene-ficium* mihi,

in quo Luciano Mueller partim obsecutus scripsi cum uncis *ben*[*e*]*ficium*, quia describens paraphrasin Ademarus *benfitium*

posuit. Illo tamen loco ut memorabilem scripturam obscurare nolui, ita ei minimum equidem fidei tribuo. Nam fac pronuntiatum esse reuera Plauti tempore *benficium* et *malficium*, ut uisum est Ritschelio (Opusc. II p. 716), Muellero, aliis. Fac eundem uocibus mansisse sonum usque ad tempora Tiberii et Neronis; fac Phaedrum non modo dixisse *benficium* sed etiam scripsisse (quamquam nusquam sic scriptum est in titulis, nusquam alias in codicibus, ne in Plauti quidem palimpsesto). Tamen erit cur denique de Ademari testimonio summopere dubites. Qui enim fieri potuit ut in paraphrasi primum seruaretur modus scribendi rarissimus curiosius quam ipsae plerumque seruabantur uoces? paraphrasin deinde qui descripsit Ademarus quomodo contigit ut a corrigendo abstineret? an uero timidiores fuerunt in hoc uno loco et paraphrastes et iterum eius descriptor quam in multis aliis omnes librarii Plauti, Terentii, ipsius Phaedri? — Cf. *bengnam* aperto mendo scriptum in B^1, Plaut. Rud. 261. — Accedit res satis miranda : Nisum enim grammaticum Phaedro fere aequalem ait Velius Longus (p.76,12 Keil) praecepisse ut scriberetur *benificus* potius quam *beneficus*. Quem de tertio scribendi genere aliquid dixisse non refertur, quamquam hic praecipue dicendum fuit, neque magis quam Nisus uidetur Longus de *benf-* cogitasse, sed in memoria tantummodo habuisse *benef-* et *benif-*.

Benficium, *malficium* dactylici certe poetae non agnouerunt, uoces heroico uersui aptissimas, qui nomina eiusdem sensus *benefactum*, *malefactum* non refugiunt, qui libenter uerbis utuntur similiter contractis *olfacio*, *calfacio; benf-*, *malf-* tamen haud magis usurpant quam illud cascum in epistula consulari de Bacchanalibus (C. I. L. I 196,19) OINVORSEI pro *uniuersi*. Atqui, utut solitae erant pronuntiari, usitatissimae in sermone Latino erant uoces *beneficium*, *maleficium*, ut uidere est ex lexicis Ciceronianis : eas uix intellegas a poetis alienas esse factas, nisi prohibuerit metrum.

Nihilominus, ut dixi, duxi esse Muellero morem aliquatenus gerendum in dactylo 23,8, atque praeterea in pede tribreui

76,18 Cum iam desi[eri]t es-*se bene-fici*[*um*] *u*-til[e].

At *beneficium* reliqui intactum in uersus initio (59,13). Item seruaui *malefico* 36,2, *maleficus* 39,2, *malefici* (a maleficio) 18,1; *malĕficae* tetrasyllabum habet Seneca Tro. 752.

Ceterum rarae sunt uoces compositae quales *bĕnĕ-fĭcĭum*, *săcrĭ-lĕgĭum* (88,3), *fĭdĭ-cĭnĭus* (quod Plautus in senario collocauit Rud. 43 itidem ut Phaeder *beneficium*). Itaque transeundum est ad exempla aliter conformata.

§ 80. — Leguntur in appendice Perottina hi duo uersus:

120,7 Adeone per me uide-*or tĭbĭ mĕlĭu*-scula?
131,1 Cum uenatorem cele-*ri pĕdĕ fŭgĕret* l[u]pus.

Ex quibus alterum a re metrica suspectum ego non haberem (cur enim abiudicandum sit a Phaedro *pede fugeret* potius quam ab Seneca *ubi facias*?), sed suspicionis aliae sunt causae. Nam si genuina est Perottina lectio *uenatorem*, intellegi nequit quo pacto scribere potuerit paraphrastes *persecutorem*; interpolauit igitur Perottus uersum ex 6 et 9, ubi legitur *uenator*. Atque *celeri pede* de bestia accipi non debet, quae si nimis celeris depingetur, latibulo non egebit neque silentium bubulci requiret; celerem dixerat Phaeder (ut Babrius) non quae iam de fuga desperabat defessam aut sauciam feram, uerum illum, cuius ea oculos uitare cogebatur, uenatorem uel « persecutorem ». Itaque adhibendum erat huic loco remedium solito acrius. Nos pro substantiuo *uenatorem* restituimus participium et interposito *uirum* disiunximus *pĕdĕ* a *fŭgĕret*. Quae emendatio ut incerta est, ita esse uera potest; contra lectioni codicum neque fides est neque ut ita dicam spes fidei.

Priorem uersum fuit cum tolerare conaremur; qui enim seruaramus *nĭsĭ mĕlĭores*, non offendebamus in *tĭbĭ mĕlĭuscula*. Sed re bene perpensa accessimus, non propter breues quaternas, uerum propter loquendi genus insolitum, sententiae Andreae Spengel, qui *meliuscula* reiciendum putauit. Nam Aesopi domina dici potuit sine suo cultu pulchrior, decentior,

speciosior, non uero *melior* aut *meliuscula*. Item potuit coniungi *adeo* cum adiectiuo (*adeo bona*, *adeo pulchra*), non cum comparatiuo, etiam deminutiua forma praedito; id quoque argumento conueniens est ut moecha stultissima, dum ab seruo suo laudem formae expetit, sese per se pulchram uel pulchellam uideri postulet, non per se aliquanto pulchriorem. Bene igitur cogitauit Spengel de *mellitula*. Pro qua tamen emendatione posuimus *uenustula*, ne in emendando deleretur illa littera *s* (quae in corruptelis rarius obscuratur), neue inter *e* et *tula* pro quinque calami ductibus tres tantummodo comparerent. Simul uisum est sensui paulo aptius esse *uenustula* quam *mellitula*, quod adiectiuum de corpore uel de sauio proprium esse potest, hic de ipsa muliere dictum uix placet.

Nullum igitur superest exemplum anapaesti quinti post dactylum collocati, qui cum uoce noua incipiat. Atque concedendum est doctis uiris, qui breuium quaternarum concursum anxie refugiunt, casu non esse effectum ut illi exemplo singulari *ŭbĭ făcĭas* deficiat exemplum gemellum et apud Senecam et apud Phaedrum. Ita enim saepe uterque poeta constituit semipedem octauum ex uocula bibreui, ita saepe semipedem nonum ex uoce a breuibus binis incipiente, ut compluribus locis exspectari possit quod semel tantummodo factum est.

De prosodia.

§ **81**. — Habet Phaeder quae inter se pugnent, ut *uoluc-ri uolu-crem*, *insŭeta insvetis*, *tibī tibĭ*, *unīus utrĭusque*, *periculum periclo*, *mĭhī mī*, *iurgii ingeni*, *deum deorum*, *libuerit libitum est*, *queri reuertier*, *parturibat custodiebat*, *fuĕrunt fuere*, *haesērunt haesere*, *fauerit promorat*, *celauerat laudaram*, *petiit petit*. Qua autem inaequalitate iam insignis est sermo Homericus, eam nos apud Augusti libertum toleramus facillime. Itaque secuti non sumus editorem doctissimum Lucianum Mueller, ubi constantiae gratia quasi Procrustes modo *nihil*

mutilabat, modo *utriusque* in ponderosam epitriti quarti longitudinem diducebat.

§ **82**. — Media quae dicta est consonans, nunc rectius sonora dicitur, disiungitur ab insequenti liquida syllabamque longam efficit in locis 7 : *nĭg-ros* 35,10 (sic Seneca Oed. 358, Ag. 756, Thy. 654, 665, HO. 559, 1705), *ăg-ros* 126,1 (sic Seneca Phaedra 1051, 1105, 1209, 1278...), *Intĕg-ritatis* 55,5 et 76,30; — *hyd-rum* 3,24 (sic *hyd-ra* Sen. Med. 701, HO. 19, 94...); — *făb-ro* 76,7, *făb-ri* 85,3. Nos 131,5 pro *Huic ăg-ro* correximus *Huic iuro*. — Coniungere consonantes non licet in composito *nĕg-legere*, uelut ex. gr. 82,20.

Locis 13 coniungitur sonora cum liquida, itaque syllabam relinquit breuem : *Perĕ-grinam* 27,11; — *cathĕ-dra* 52,4; — *glă-bros* 82,22, *tenĕ-bris* 54,26; 60,4; 70,10, *tenĕ-bras* 54,42, *celĕ-bres* 7,1, *cerĕ-brum* 8,2, *colŭ-bram* 69,2, *muliĕ-brem* 82,21 (cf. § 1), *Celĕ-brate* 124,7, *Fă-bricasset* 84,9. Ex coniectura est *scă-bro* 97,6.

§ **83**. — Surda consonans disiungitur a liquida locis 7 : *rĕc-reatus* 119,27 (quod sine exemplo esse ait Quicherat), *uolŭc-ri* 101,1 (eodem uersus loco Sen. HF. 750, 756); — *rĕt-ro* 34,6 (eodem uersus loco Sen. HF. 55, 280, 941, Tro. 503, 1151, Phoen. 192, 541...), *pŭt-ris* 134,6 (sic Seneca Oed. 534); — *ăp-ro* 30,4, *uĕp-rem* 131,2 (sic Seneca Phaedra 1103), *locŭp-les* 119,2. Traditum est 84,16 *păt-ris*, sed reponendum uidetur *pă-tria*. Traditum est 75,24 *supra*, 3,20 *supra* uel *super*; utroque loco legendum putamus *supera* potius quam *sup-ra* (cf. Sen. HF. 1289, Phaedra 935, 1158). De *atroci* 113,21 u. § 29.

Locis 43 coniungitur surda cum liquida : necessitate corripitur in uersu iambico uox *merĕ-tricius* 107,4, uoluntate Phaedri corripiuntur *uolŭ-crem* 27,11, *uolŭ-cris* 37,6 et 93,3, *lă-crimas* 67,4, *Lă-crimis* 124,6, *să-crilegio* 88,3, *lŭ-crum* 24,8; 44,26; 70,26; 94,8; *lŭ-cro* 89,8, *lŭ-cri* 99,3, *să-crum* 88,13,

obsĕ-cro 111,1 et 135,5; — *pă-trimonio* 70,23, *arbĭ-trio* 62,10 et 106,1, *V-triusque* 54,2, *tonĭ-tribus* 100,23, *arbĭ-tror* 113,23, *impĕ-trant* 68,21, *pă-triae* 43,31, *pă-triam* 72,7 et 111,9, *merĕ-trix* 107,13 et 132,1, *uerĕ-tri* 64,1, *pă-tris* 115,2, *pă-trem* 52,9, *pă-tri* 82,30, *pĕ-tram* 125,2; — *locŭ-pletes* 28,2, *locŭ-ples* 72,6, *prŏ-prium* 4,10 et 5,1, *prŏ-priis* 62,13 et 87,2, *prŏ-prios* 43,12, *Prŏ-priae* 108,15, *stŭ-pro* 111,14, *rĕ-plent* 68,19. Traditur priore correpta 103,7 *latrans*, sed *lătrare* per uocalem breuem nemo antiquus dixit, ne comici quidem (neque Phaeder 24,6); pro *latrans* reposuit Bentley felici inuentu *Lacon*.

§ **84**. — Recte praebent codices *reccidat* 62,15, *rettulit* 34,6 et 63,10, *rettudi* 74,22, *repperit* 1,1; 54,43; 56,2; 82,49; 88,15, *repperi* 81,11; itaque restituenda sunt *rettuli* 75,4, *rettulit* 3,9, *repperisset* 117,5 (ut apud Senecam HF. 269 *reccidistis*). Semper autem praesens *reperio* primam syllabam corripit, quamquam male traditum est *repperies* 79,4 et 94,11, *repperire* 86,2 (cf. *repperti* 75,30). Corripitur recte *recipior* 44,23; item *reticebo* 127,3. Corripitur prima in *reliquiis* 23,6, *reliquiae* 45,6 et 76,15, *reliquias* 94,3 (sic Seneca Phaedra 1247, Oed. 1021, HO. 1823), *religio* 88,4 et 111,4, *religioni* 28,6.

Dissicit, non *disiicit* aut *disicit*, scripsi pro corrupto *dissipat* 113,10. Vsitatam enim fuisse eam per geminam *s* formam Phaedri aequalibus docet Seneca, qui quamuis in *adicio*, *abicio*, *obicio* primam corripere soleat (dactylicum *obice* nomen est HF. 999), tamen *dissicit* pro dactylo habet Tro. 395 (ubi scriptum inuenitur etiam *dissipat*). Quo ille iure uix dicam, sed siue iure aliquo siue iniuria, uoluit distingui *dissicit* a ceteris eiusdem uerbi compositis. Quae autem lingua *Pollux* habet pro **Poldux*, *tollo* pro **tolno*, *collum* pro **colsum*, *ferre* pro **ferse*, *parra* pro **parsa*, eamne incredibile est habere *diss* pro **disj*-? Non potuit confundi in composito iaciendi uerbum cum uerbo secandi? Non potuit Phaeder in eo composito

peccare, siquidem peccatum hoc est, quemadmodum peccasse dicuntur multi multorum librarii?

Producit Phaeder *prōcurare* 47,16.

§ **85**. — De *u* modo uocali modo consonante haec enotaui : pronuntiandum est *argŭebat* 11,4, *argŭis* 55,6, quod nihil noui habet, itemque *milŭum* 32,3 et *milŭo* 32,10, quod perinde legitimum est. In suescendi uerbo haesitat Phaeder : *insŭeta* 12,5, *adsŭetam* 44,14, *adsŭevi* 85,7, sed cum *u* consonante[1] *insvetis* 3,8, *adsvevit* 17,5, *mansvetudo* 115,15 (*consveverit* 57,14 ex coniectura; non sine metrica necessitate *mansvetudinem* 106,7, *consvetudine* 91,3 et 118,22); constanter tamen *persvasus* 49,8, *persvasa* 9,7, *svadebat* 16,6, *svadet* 39,11, *svaves* 96,3. Recte in *reliq-ŭus* siue mauis *relic-ŭus* auditur *u* uocalis (a relinquendo enim, ut a conspiciendo *conspic-ŭus* 83,6) : *reliqŭis* 32,13, *reliqŭas* 48,2, *reliqŭ*[o]*m* 75,12. Etiam recte *fortŭītum* 37,4 (*fortvītus* uel male *fortŭĭtus* alii, ut *pitvita* Horatius, *qvattvor* Ennii exemplo Seneca HO. 1095; *gratŭĭtus* Statius). De uoce *liquidam* u. ad 27.4.

§ **86**. — Collatis uersibus

3,16 Hoc mersum limo cum iaceret *diutius*,
76,14 Fruar *diutius* si celerius c[e]pero,

apparet Phaedrum pronuntiare solitum esse *dĭŭtius*, non uero *dĭūt-* uel *djūt-* aut *divt-*. At pronuntiauit *cuj*, *ej* : u. § 34.

§ **87**. — Producitur *-o* ubicumque semipedem parem efficit : *quaesō* 53,6; 131,7; 51,4 (et secundum *PR* 51,17), *purgō* 23,3, *parcō* 76,1 (sequitur *sc*), *placō* 84,4, *donō* 113,30, *pereō* 51,6, *faciō* 132,5, *uolitō* 135,6, *confidō* 19,6, *seruabō* 33,8, *monstrabō* 49,5, *perlustrō* 74,5 (nisi est *praegustō* 74,6), *committō* 135,12, *restituō* 57,15, *reticebō* 127,3; — *Nemō* 19,1, *uirgō* 111,16,

1. Sic Seneca constanter, ex. gr. HF. 653, Tro. 152, Med. 808, Phaedra 175, 207, qui habet et *Sŭebae* Med. 713 et *svapte* Ag. 250. — Raro exemplo librarius codicis *P* uocem ita diremit 91,3 : *consu etudine*.

condiciō 51,7 (?) et 57,12; — *subitō* 3,14 et 40,7 (ex coniectura 111,3), *Serō* 65,10, *Tutō* 123,5, *Ergō* 106,12, *retrō* 34,6, *meritō* 28,9 et 50,10, *ideō* uel *adeō* 41,11, *ilicō* 118,18, *aliquandō* 58,12, *Falsō-que* 84,18; *Immō* legitur 110,12 (sed coniectura sustuli 120,8) sicut Catull. 77,2, Plaut. Merc. 297 (nam parum fidei habet Cist. 565). Corripitur compositum *Quandŏquidem* 54,52.

Etiam producitur *-o* in semipede nono (§ 42) : *perstō* 123,8, *cedō* 129,5, *optō* 131,14, *habeō* 49,4, *uideō* (sequitur *st-*) 74,15 (?), *curabō* 92,6; — *scitō* 97,3; — *nemō* 46,5, *magnitudō* 83,12; — *agendō* 38,3, *ambulandō* 113,2; — *uerō* 27,1, *subitō* 16,5 et 54,20, *meritō* 32,13 et 57,7, *omninō* 84,23. — Facilius quam in Phaedri senariis apparet in trimetris Senecae *-ŏ* correpta, ut bis fit in Phoen. 64 : *Non obstŏ sed praecedŏ, quouis utere.*

Casu euenit ut numquam reperirentur iambica in *-ō*, qualia *uŏlō, hŏmō*. Vbicumque igitur legimus uoces huius generis, corripiuntur, et ex breuibus geminis fit semipes : *Scĭŏ* 92,13 et 129,6, ne-*scĭŏ*-quis 53,5, ne-*scĭŏ*-quid 38,20, *uĕtŏ* 68,31, *uŏlŏ* 71,6; — *Lĕŏ* 22,4, *hŏmŏ* 37,25; 72,1; 75,28; 100,32; — *cĭtŏ* 58,10 et 76,13, *mŏdŏ* 10,9 (ex coniectura 93,11 et 100,25).

§ 88. — De *hŏmŏ, tĭbĭ, tĭbī, mĭhī* et similibus in primo pede dictum est § 64, in secundo et quarto pede §§ 35-36 Praeterea enotaui in semipedibus paribus *tĭbĭ* 47,14; *ŭbĭ* 10,4; 31,1; 50,9 (?); 63,4; *tĭbĭ* 12,13; 23,3; 54,8; 56,7; 76,20; 84,17; 84,21; 123,3 (cf. praeterea 76,2 [cum § 18]; 112,4; 126,11; 135,12); *sĭbĭ* 30,2; 46,15; 68,4; 78,7; 92,2; 100,2; 102,5; ne-*scĭŏ*-quis 53,5, ne-*scĭŏ*-quid 38,20; *uĕtŏ* 68,31, *uŏlŏ* 71,6; *hŏmŏ* 37,25 et 100,32. Vbicumque pronuntiari potest *mĭhĭ* ut 51,13, potest etiam *mi*. In uersus exitu stat ea uox 2,5 et 55,5, posterioris syllabae elisionem patitur 20,9; 22,11; 135,6 et ut uidetur 56,7 et 88,6, ut de *mĭhi* disyllabo dubitare non liceat, etiam ubi non fit iambus.

De *ego* ante *sc-*, *ibi* ante *st-* bibreuibus u. § 48.

§ **89**. — Pronuntiatur producte *unīus* 82,49, *ullīus* 88,21 et 123,11, *illīus* 43,14 et 75,26; correpte autem (quae exempla Lucianus Mueller tolli postulauit omnia) *alterĭus* 54,55 et 86,2, *utrĭusque* 54,2, *illĭus* 15,8, ut bis in uersu Horatiano C. IV 13,18. Equidem me fateor nescire cur non licuerit Phaedro etiam in hac re pugnare secum; Vergilius in uno eodemque libro *unĭus ob noxam* A. I 41, *unīus ob iram* I 251; Seneca *ipsīus* HF. 480, *unīus* 1266, *illīus* Med. 729..., sed etiam *unĭus* Ag. 626 (quis enim uersus esse potest nisi sapphicus?), *alterĭus* Tro. 231, *utrĭusque* Tro. 893, Thy. 709, 1088...

§ **90**. — Posuit Phaeder in exitu uersus *dextera* 92,3, *dexteram* 131,8 (cf. Sen. Med. 104, Ag. 551; etiam in uersu medio Oed. 1002, HO. 870, 995, 1727...); in uersu medio *dextras* 100,9. Posuit Phaeder in exitu uersus *periculum* 30,3 et 47,8; pronuntiandum est in uersu medio *periclo* 29,11; 37,13; 40,14; 41,19, et restituendum *periclis* (non uero *periclo*) 67,8; de *periclum* 86,1 ipsam u. editionem. Recte se habent *Periclitatur* 83,12, *Periculosam* uel *-sum* 9,9; 54,1; 94,8 (*Archiv f. lat. Lexikogr.* IX 1894 p. 136). *Periculis* in uersus initio Sen. HF. 327, Med. 434, qui etiam *periclis -clum -cli* Oed. 709, 971, Ag. 234, 798, 978. — In u. medio *saeculis* Phaeder 79,16, cf. 108,1; *poculis* 75,20; in exitu *saeculo* 97,4, *poculis* 119,26.

De *dis* pro *diues* cogitauit Lucianus Mueller 40,4 et 95,4; recurrit *diues* 49,6; 89,2; *diuitis* 119,6; cf. *ditum* ap. Senecam HO. 648; de *diuĭtiae* dictum est § 39; de *-uĕ-*, *-uĭ-* in uerbis dicetur §§ 101-103; de Lachmanniana uoce *stum* pro Latina *istum* u. §§ 21 et 55; de *benficium* §§ 69, 79; de *mehercule[s]* u. 26,7.

Legitur *Neque enim* 43,25; praeterea semper *nec*.

Corcodillis 26,4, *corcodillus* 26,6 recte se habent; item *tympana* (non *typana*) 78,7.

§ **91**. — Pro *nihil* fere ubique *nil* scribit L. Mueller;

quin 74,17 pro *Nihil laboras* reponit *Laboras nil*. In quo sine iusta causa uidetur audax fuisse uir doctissimus. Quid enim impedit quominus Phaeder utramque formam usurpauerit, ut homo aequalis Seneca, qui sibi contradicit in uno eodemque uersu (Med. 163 Qui *nil* potest sperare desperet *nihil*[1])? Cur non *Nihil* iambum primum effecerit ille, ut Seneca HF. 365, 1302, Tro. 423, Med. 461, Ag. 1010, Thy. 435 (qui etiam *Nil* Phaedra 1176, Ag. 507, Ag. 517, Thy. 255, HO. 1479)? Legitur *nil* in *P* 40,12, pro eo *nec* 41,11. Recte restituitur *nil* pro *nihil* 95,31 et 123,16. Quod fecerat Pithou in 54,31 (cf. 54,51), cum nondum innotuisset uera scriptura ex Perottino testimonio. Vereor tamen ne hic et 110,9 diffidendum sit Perotto, cui ut uidetur senarius eo melior erat quo propius accedebat ad syllabarum numerum duodenarum (p. 287). Desinit uersus in *nĭhil* 82,16.

Restituendum est *mi* pro *mihi* 62,9 et 114,12.

Pronuntiandum est *prensa* 23,1, *comprensus* 49,10 (*-prehensus PV*) et 79,14 (traditur *-pressus*), *deprensi* 94,10 (trad. *-prehensi*; cf. Sen. HF. 224,323, Tro. 1097..., qui tamen *deprĕhensum* HO. 470), *prendens* 125,2, *prendit* (perf.) 107,15, *prenderat* 128,1 (cf. Sen. Tro. 1046, Oed. 916, HO. 533), ut recte uideatur Nevelet restituisse *reprendere* 101,4.

§ **92**. — Sicut in medio composito longam breuiat auctor Iliados (χαμαι-εῦναι Π 235), ita solent Latini non minus inter compositi partes quam inter uoces geminas elisionem facere : *ant(e)hac*, *d(e)in*, *m(e)hercules*, *sem(i)animus* (monstrum horrendum informe est Eicherti *semjanimus*, Vollstaendiges Woerterbuch zu den Fabeln des Phaedrus, s. u.). Opus igitur non est ut nos partim exquisitas partim barbaras scripturas inducamus, uelut *semanimus* aut *mercules*. Neque modo in scribendo parendum putamus esse consuetudini ueterum, etiamsi forte praua nonnumquam fuit, sed etiam in loquendo

1. Sic etiam Martialis II 3 : Sexte *nihil* debes, *nil* debes Sexte, fatemur.

non est cur uocalem deleamus, nam id interfuit inter elisionem Graecam et Latinam, quod uocalem elisam Graeci delebant, Latini quamquam non adnumerantes pronuntiabant tamen; neque opinor umquam homo uere Romanus pronuntiauit aut *minquit* pro *me inquit* aut *mercules* pro *mehercules*. Sed de efferendis utut est uocibus, in describendis summa religione seruauimus qualia sunt *antehac* 45,6; *semianimus* 10,8 (etiam in loco corrupto 68,19 requirit apicum numerus *semiusto*); *dein* et *deinde* ex. gr. 9,3; 15,7; 20,5; 49,3; 70,6; 82,16; 92,5; *mehercule* et *mehercules* 26,7 (ubi uide); 49,4; 61,8; 95,22; 117,3. Etiam in *circumire* 72,4 Phaeder elisionem admittit. Incertum est quomodo pronuntiemus *circumeunti* 63,5; *circŭmit* uel *circŭit* habet Seneca Oed. 547, Ag. 237.

§ **93**. — Vna uoce efferenda sunt *superuolans* et *superfuit* (ut apud Senecam *supererant*, Phoen. 240) in

42,6 [Ne] solus esset stud[u]i, quod *sŭperfŭit.*
126,9 Ostendit sese coruus et *sŭperuŏlans.*

Quare scripsi *propteruolans* 39,7, *propteruolitanti* 134,1; sed haec minus certa.

§ **94**. — *De declinatione.* — Metro requiruntur *pretii* 56,4, *iurgii* 2,4, *luscinii* 62,2, ex coniectura *studii* 77,4; sic Seneca *Ilii* Tro. 428, *senii* Phaedra 823, *coniugii* Ag. 80, *consilii* Ag. 126, *Danuuii* Thy. 376, *exilii* Thy. 923. Sed pronuntiandum est *ingeni* 112,5 (§ 37; sic Sen. Phoen. 238), *imperi* 84,20 (ubi traditur *imperium*) et 113,31 (sic Sen. Phoen. 296, 661, Oed. 84...; tamen *-rii* Phaedra 430, 542, 1111), *malefici* 18,1. *Supplici* 23,5 melius a supplice quam a supplicio repetas. Seneca *consili* Thy. 308, 325.

Certum est *frenos*, non *frena*, 81,9.

Genetiuo numeri pluralis legitur *superum* 99,5 (sic Sen. Thy. 789) et in pseudo-tragoedia *Graium et barbarum* 84,11 (*Graiorum* Seneca Tro. 526), *deum* 88,12 et 19 (sic Sen. Tro.

351), sed *deorum* 3,13; 61,10; 68,22 (sic Sen. Phoen. 200 et saepe).

Monosyllabum est *di* 100,24 (ex coniectura 68,26; sic Sen. Thy. 1070), *dis* 70,15 (sic Sen. Phoen. 205). Iambice tamen reposui 61,2 *Dii ut* uel *Dei ut* pro *Diui*, adhortante prosodia Senecae, qui *dei* HF. 450, 712, HO. 64, *deis* Oed. 767, Thy. 148, 984... Talia non habet Phaeder qualia sunt *meis* monosyllabum Tro. 191, *exilis* pro *exiliis* Phoen. 625, *supplicis* Med. 743, 1015, Oed. 944.

§ **95**. — *Venantum* scriptum est substantiui sensu 13,7 (*nocentum* Seneca HF. 93); item substantiui sensu repositum metro inuitante *potenti* pro *potente* (§ 44). Res anceps est de *maiori* siue *maiore* 47,11 et 13 (*maiore* Seneca HF. 747, Thy. 254, *maiori* Phaedra 543); apud Phaedrum *titubanti* metro firmatur 65,10 ut apud Senecam HF. 777; corrigitur *ueniente* pro *uenienti* 89,5. Accusatiuos in *-īs* seruarunt saepe codices; restituendum pro *humiles* censuimus *humilis* 29,1; cf. 76,12; 95,4.

Propter metrum restituitur *uulpes* 14,5 et 27,3 et 29,8 (his et ceteris locis *uulpis P*; cf. *feles* 37,2 et 4). — Versum claudit *gruis* pro *grus* 9,7; monosyllabum est *Sus* 37,3. — *Plebes* legitur 83,13, non *plebs*. Ex *R* reposui *colos* 57,6. — Restitui debent casu accusatiuo *uirginale* (pro *-ali*) 65,12, casu uocatiuo *animale* (pro *-al*) 93,8.

Quae Phaeder uidetur a declinatione Graeca mutuatus esse ut *myrtos* 61,3, *Tityos* 110,13, *sophos* uel σοφῶς (u. ad 58,9), *Lede* 75,9, *Simonide* 72,13, *Praxitelen* ante consonantem 97,6, *Cybebes* 78,4, *Cybebe* datiuo casu 61,4, ea plerumque ad prosodiam non pertinent. Contrarium Graeco mori est *Phalerĕus* 98,1.

§ **96**. — *In quis* sensu relatiuo seruauerunt *PR* et Perottus 98,9, Perottus 112,2; *De quis* testatur Perottus 57,11, ubi *PR* contra metrum *De quibus*. Praeterea *quis* conieci pro *quo*, *quae* 4,11 et 67,10. Etiam puto legeremus *quis* 8,3 pro *quibus* (utrumque metrum sinit), si seruatus esset ea quoque in parte

codex Perottinus. Sensum interrogatiuum habet *quibus* 100,6. Relatiuo sensu Seneca modo *quis* (Med. 711, Phaedra 443, Oed. 680, Ag. 197), modo *quibus* (Ag. 10, 525, Thy. 897...).

§ **97**. — *De coniugatione.* — Coniugationis tertiae sunt *orĭtur* (quod reponendum uidetur pro *uritur*) 118,19 et, si forte pro genuino haberi debet, *cupĭmus* 41,17 (ut *cupĭtis* Sen. Phoen. 491, *cupere* Med. 544). Secundae sunt *intuēre* 79,3 et quod fide codicum sola nititur *tuearis* 51,10 (cf. Sen. Tro. 501, 507, 667, 906...).

Legitur *libuerit* 33,9, *libitum est* 59,4; *miseriti* 46,4, *miserita* 59,16. De *coepit* cum passiuo u. ad 20,9. Traditur infinitiuus *ioculare* 79,1, neque ex alio auctore demonstratur dictum esse potius *iocul ari*, quamquam *iocari* dicitur.

§ **98**. — Infinitiuus medio-passiuus terminatur fere in *-i*, uelut *queri* 67,9; unico exemplo legitur *reuertier* 68,14.

In imperfecto coniugationis quartae notanda sunt haec: *parturibat* 73,1 (*-iebat* metrum non respuit), *sentiebat* 54,15, *Custodiebat* 70,4, *Veniebat* 98,13.

Restituitur *occucurrit* 51,3 et 135,3. Vix tamen potest intellegi *occurrit* tempore praesenti 123,2; perfectum esse potest ut *accurrit* 122,2; Seneca *occucurrit* Phoen. 367, *occurri* HO. 42[1]. Tamen uidendum est annon reposuerit Perottus *Aesopo occurrit* pro *Huic* uel *Illi occucurrit*, dempto promythio in quo steterit olim nomen Aesopi. Velut 54,39 pro *Diuo Augusto* posuit summum pontificem, pro *nostris* ut uidetur 113,16 Romanos et pro *contubernales* 107,1, nisi nos coniectura fefellit, mulieres.

§ **99**. — Secundam personam medio-passiuam finit Phaeder in *-ris* si praesentis est: *quer[er]is* 2,7, *falleris* 24,6, *abigeris* 74,16, *caperis* 77,10; — *uideris* 11,9; — *minaris* 73,4, *dele-*

1. Praeterea *incucurrit* HO. 48; etiam apud T. Liuium uideo ex dissertatione quam scripsit J. Dianu, nunc sub prelo posita, seruatum esse in optimis codicibus *concucurrissent* VIII 7,9, *praecucurrerant* VIII 30,13.

ctaris 93,9; — *experiris* 123,17. Sic solet Seneca : *moreris* Phoen. 76, *uereris* 492, *moraris* Med. 988, *moliris* Phaedra 431... Nam ab ambiguitate cauendum est poetis, in uerbis praesertim quae actiuam formam recipiunt. Seneca tamen *rere* Phaedra 895, Ag. 250, *speculare* Phaedra 679.

In subiunctiuo et in futuro maior datur poetis libertas; in subiunctiuo igitur Phaeder *fruaris* 23,6, *irascaris* 70,14, *tuearis* 51,10, *priueris* 131,14, in futuro *dicēre* 61,11. Seneca in subiunctiuo *condaris* HF. 1010, *queraris* Thy. 1104, *frueris* Phaedra 1187; in futuro *cogēre* HF. 426, HO. 1710, *moriere* HF. 429, Tro. 860, Med. 170, HO. 332, sed etiam *morieris* Ag. 971, *sequēris* Tro. 777, HO. 897, 1532, *mittēris* Oed. 521 (quibus cum formis uix recte conferas *satiaberis* Thy. 980).

§ **100**. — In perfecto utitur Phaeder promiscue, more ueterum, terminationibus tribus *-ērunt*, *-ĕrunt*, *-ere* :

peperērunt 47,4; — *uidērunt* 21,3 et 68,10, *dixērunt* 25,8 et 133,2, *legērunt* 61,2, *fecērunt* 78,7, *haesērunt* 125,4; — *restitērunt* 51,4; — *pertraxērunt* 54,35, *euasērunt* 83,4, *respondērunt* 98,16;

fuĕrunt 76,24, *luĕrunt* 118,7; — *laesĕrunt* 46,19, *coepĕrunt* 66,2 (cf. *uertĕrunt* Hor. Epod. 9,17); — *abiĕrunt* 70,16, *periĕrunt* 94,10; — *praebuĕrunt* 37,24 (cf. *miscuĕrunt* Verg. G. III 283); — *inspexĕrunt* 52,5;

posuere 42,1, *petiere* 3,11; — *misere* 3,22 et 68,1, *coepere* 21,5; 35,7; 68,23, *Videre* 46,3, *Haesere* 83,8, *Venere* 95,7, *Finxere* 101,7; — *sustulere* 7,4.

Traditum est (a rubricatore) *petiere* 54,39, ubi reponendum est *petierunt* ut 72,18; utroque loco et *ē* admitti potest et (ut in *abierunt*, *perierunt*) *ĕ*.

Vbi libera est poetae eligendi potestas, semipedem tertium efficit *-re* in *Sonuere* 117,3, *Periere* 21,6, *Misere* 46,6, *-runt* nusquam; semipedem septimum efficit *-re* in *rapuere* 94,9, *-runt* in *adscripserunt* 97,6, *miserunt* 68,33 (ubi poetae libertas

non fuit, si forte legendum est *miserunt hos*). Semipedem quintum efficit *-re* in *fuere* 6,4 et 116,5 (sic *intulere* Seneca HO. 95) *-runt* in *sciērunt* 75,32, *indidērunt* 133,3 (sic *abstulerunt* Seneca HO. 956).

Terminationem *-ĕrunt* ob necessitatem metricam uitant dactylici praeter in quibusdam uerbis (*stĕtĕrunt*, *dĕdĕrunt*, *tŭlĕrunt*...). Quos Seneca seueritate regulae superat. Hic numquam *-ĕrunt*, saepius *-ērĕ* quam *-ērunt* adhibet; praeter uoces ab anapaesto uel spondeo incipientes, ut *adiere*, *sensere*, enotaui *bibere* HF. 484, Ag. 700, *tulere* Tro. 209, *iere* Phaedra 554, *luere* Phaedra 1166, *stetere* Ag. 712, *dedere* Ag. 784. In penthemimere *abstulerunt* HO. 956; ante uocalem *fuerunt* Ag. 876, *steterunt* Oed. 963. Ante iambum ultimum *cesserunt* HF. 955, *ceciderunt* Tro. 175, *texerunt* Ag. 41, *fecerunt* Ag. 171, *pepulerunt* Ag. 549, *redierunt* Thy. 311, *uicerunt* HO. 575, *senserunt* HO. 1164.

§ **101**. — Syllaba *-uĕ-* in temporibus perfectis modo demitur, modo seruatur :

92,7 Quos *adtemtarit*; tunc qui *depugnauerat*.
112,1 Aesopo quidam scripta *recitarat* mala
In quis inepte multum se *iactauerat*.

Sic in exitu uersus *celauerat* 95,32, *lucubrauerat* 118,14, *nouerat* 82,28; — *nouerit* 45,7 (ex coniectura *consueuerit* 57,14); — *cognoueris* 54,58. Alio in loco *uiolarat* 28,4, *occuparat* 42,5, *negarat* 60,19, *promorat* 75,27 (*promouerat PR*; *mouerat* Seneca Tro. 1098 in medio uersu, *norat* Med. 309, 334, Phaedra 531, Oed. 596); — *ligarant* 83,6, *compilarant* 118,6; — *laudaram* 13,15; — *crearit* 7,9, *optarit* 107,8 (ex coniectura *putarit* 38,20, *uacarit* 77,14, *denotarit* 114,14; Seneca *efferarit* Phoen. 206, *expiarit* Phaedra 718, *contaminarit* Oed. 389); — *laxaris* 58,11, *occuparis* 101,3, *peccaris* 123,18 (*pararis* Seneca Thy. 1106); — *monstraro* 39,9; — *cessarunt* 10,5, *negarunt* 25,6, *collocarunt* 42,2, *postularunt*

54,34, *concacarunt* 68,11, *conprobarunt* 119,33 (*leuarunt* Seneca Tro. 696; *norunt* Phaedra 1212, sicut etiam *norint* Oed. 749).

In medio uersu etiam *fauer*[*i*]*t* 42,8, quod uix contrahi potest (cf. *creueras* Sen. Oed. 419, *fouerat* Oed. 762).

§ **102**. — Contra omittitur constanter syllaba *-uĭ-* praeter in *adiuuisses* 92,8: *Superasse* 116,9, *commendasse* 18,3, *inuitasse* 27,4, *Interrogasse* 114,4; — *destinassem* 77,1; — *rogasset* 20,3, *reuocasset* 27,7, *fabricasset* 84,9, *fundasset* 53,2, *limasset* 54,49, *procreasset* 65,2, *immolasset* 94,1, *oblectasset* 117,6, *persalutasset* 89,4; — *uitassent* 32,4, *aequassent* 66,3, *inquinassent* 3,21, *impetrassent* 66,1, *perorassent* 11,7, *recusassent* 57,17; — *uindicasti* 113,31, *concupisti* 28,10 (ubi *concupiisti* metrum non respuit); — *nossem* 12,14, *nosset* 57,4 et 122,4, *deflesset* 122,8; — *redisses* 56,5, *praeterissem* 57,16 (in quibus locis metrum non respuit per *i* duplicem *rediisses*, *praeteriissem*).

Itidem Seneca, uelut *redisse* HF. 640, *perisse* Tro. 490, *exisse* Med. 281, *exisset* Med. 955, *petisset* Med. 1010, *punisti* Phaedra 1194, *nescisse* Oed. 514, *petisti* Ag. 371, HO. 551, *audistis* HO. 294, *redisti* HO. 982. — Manet *-ui-* in *neuisset* Phaedra 662, *pauissem* HO. 1194.

§ **103**. — Perfecta in *-iui* terminata amittunt consonantem ante *-ĕr-*, *-ēr-* (quod Seneca quoque obseruat): *petiĕrant* 21,6, *petiĕrint* 33,15, *petiĕrit* 46,17, *periĕrant* 72,15, *periĕrunt* 94,10, *abiĕrunt* 70,16 (de *petierunt* 54,39 et 72,18 u. § 100), *exiĕris* 37,14, *Audiĕrat* 36,3, *desiĕrint* 82,11 (ex coniectura *desiĕrit* 76,18). Legitur *sciĕrint* 36,6, *sciērunt* 75,32, *Periēre* 21,6, *petiēre* 3,11 (non 54,39).

In ceteris formis inueniuntur inter se dissimilia:

poliui 1,2, *petiuit* 34,10, *quaesiuit* 25,7; 48,3; 89,6, *adquaesiuit* 15,4, *exaudiuit* 126,2, *sciuit* 59,10; Seneca *concupiuit* Phoen.

198, *audiuit* Med. 514, Ag. 855, *asciuit* Phaedra 202, *quaesiuit* HO. 1694 ;

obiit 54,3 (*obit PR*), *abiit* 63,9 (*abit P*) et 131,8, *rediit* 75,19 et 113,29 (utroque loco *redit* Perottus), *periit* 79,15 (*perit et PR*; u. infra), *petiit* 81,4 (*petit PR*); Seneca *subiit* Phaedra 135, *abiit* Ag. 944, HO. 751 ;

syllabis duabus *perit* 38,24 et 72,27, *petit* 41,3 *et* 75,6 ; Seneca *perit* HF. 49, Ag. 113, *redit* Tro. 50, *obit* Tro. 597. Sic fortasse 108,12. In uersus tamen initio 81,5 pronuntiari debet anapaestice *Rediit* (traditur *Redit*); sic Seneca *Petit* HF. 244, *Adit* HF. 321, *Redit* Tro. 806.

Corripitur *perit*, quamquam perfectum est, in uersu uno :

79,15 Alter similiter, deinde *perĭt* et tertius;

nisi forte scribendum est *dein perĭt*. Correpte certe Seneca HF. 1023 *Perĭt ante uulnus, spiritum eripuit timor*.

§ **104**. — Posuit Phaeder *dixisse* 11,8, non *dixe*, et ut uidetur *dixisti* 2,10, non *dixti*. Neque magis formis mutilis utitur Seneca.

DISQVISITIONVM CRITICARVM

PARS POSTERIOR

DE ORDINE RESTITVENDO
ET TEMPORIBVS DISTINGVENDIS

De codice X et de poematiis 42-44.

§ **105**. — Prologus qui uulgo fertur libri III constat ex partibus duabus, quarum prior continet uersus 32, altera uersus 31. In priore parte alloquitur poeta Eutychum quendam (§ 159), hominem intentum *lucro* et occupatum *negotiis* et *officii*[*s*], qui uix per ferias ad legendum tempus inuenire possit. Quem ab *limine Musarum* deterret Phaeder candidius fortasse quam gratius, eoque esse parum litteratum significat, quod dubitat lecturusne sit Eutychus librum *honori et meritis* suis dedicatum, quodque notissimum Aeneidos locum laudans non leuiter hominem commonet « nec plura alludens », uerum quasi studiorum puerilium iam immemorem nimia cum diligentia edocet. Trimalchionem credas, qui, nisi quis praecaueat, locuturus sit de Diomede Helenae fratre aut de Troia ab Hannibale capta[1].

1. Eutycho dicitur *tibi* 54,8; Eutycho igitur et simplicibus (54,54) scriptum est illius fabulae epimythium; exemeritne ex *simplicium* numero amicum Phaeder incertum est.

§ **106**. — Valde diuersa leguntur in alterius partis exitu (apud nos 43,38-39). Primum dicit Phaeder *Induxi te ad legendum*, qui reuera Eutychum non *induxit*, sed potius ab legendo deterruit. Deinde alloqui uidetur non Trimalchionem alterum, sed alterum Particulonem, cuius approbatio pro laude sit (u. 77,17); immo iisdem blanditiis utitur quibus Horatius, ubi *sermonum candidum iudicem* praedicat Tibullum :

sincerum mihi
Candore noto reddas *iudicium* peto.

§ **107**. — Alius igitur est ille Eutychus, ad quem pars prior prologi derigitur, alius homo anonymus, ad quem uersus 43,38-39. Huic autem, non illi, conueniunt uersus praecedentes (43,28-35); nam aut nesciebat Eutychus, aut saltem non meminerat, ex Phrygia oriundum fuisse Aesopum, ex Scythia Anacharsin, ex Thracia Orphea multoque minus clarum Linum. Doctiori etiam lectori, uel nude dicam lectori (quoniam lecturus uix uidebatur Eutychus) conueniunt uersus 43,21-26, de iis quae in Phaedri libello continebantur, atque uersus 43,9-13, de genere ipso deque mente Aesopi et de sensu fabularum recondito. Idem dicendum est de uersibus 43,14-20, in quibus nominatur Seianus. Nemo enim dubitat quin Eutychus ille sit, quem Phaeder in epilogo rursus alloquitur : at hic cautissimis uerbis utitur poeta, ueteris sententiae[1] *Palam muttire*... se memorem fore promittit (76,33-35), de copia tantummodo fabularum loquitur (76,1-7), non uero de *affectibus propriis* deque arcana illa utilitate; quin ubi *difficulter contineri spiritum* excusans ait (76,29), eatenus audax est ut se *innocentem* fuisse affirmet. Quam imprudenter, qui se in epilogo tam timidum fingit, ea in prologo diserte posuisset per quae facilius posset uideri seditiosus! Ad Eutychum ergo non uersus 43,14-20, non 43,21-39, non 43,9-13 mitti potuerunt; atque a prologo Eutychiano separanda sunt quaecumque uersum

1. Ennianam esse non dicit, quia opinor timet ne Ennium Eutychus parum nouerit. Nisi forte sententiam sine nomine intermixtam Publilianis legerat.

44,32 subsequuntur. Quo facto multo melior fit prologus. Nam in textu uulgari postquam se in *iugo Pierio* et Musarum cunabulis natum dixit Phaeder addiditque se tamen uix recipi in coetum poetarum (44,17-23), cur in eodem textu se Thracem profitetur patriaque illa superbit (43,30-35)? offendit ipsa iteratio; ex singulis offendunt et quae similia sunt et quae uariantur; diuiso autem prologo recte se habent utrimque omnia.

§ **108**. — Pars prologi prior (fab. 44) sine dubio pertinet ad librum III (44,29 *Librum exarabo tertium*). Eiusdem libri non fuit pars posterior (43,9-39); nam quae modo dixi de uersibus prope seditiosis 43,14-20, ea spectant ad librum uniuersum.

Neque de genere fabularum (43,9-13), aut de mente sua (43,21-26), aut de non deserendo patriae *decore* et quaerenda per litteras *gloria* (43,27-37), eo modo disseruisset scriptor qui iam edidisset fabularum libros duos. Decent tales praefationes eum qui aliquid noui incipit, neque quidquam simile reperias in genuino libri III prologo (44), in epilogo (76), in libri IV prologo (77) et epilogo (96), in libri V prologo (97). Adde quod in parte prologi genuina queritur poeta de inuidis, a quibus *fastidiose in coetum recipitur* (44,23); in parte altera (43,36) abesse liuorem iubet, quasi nondum constet futurine sint sibi qui inuideant. Quique in parte prologi genuina meriti sui iam conscius est (44,22) haud secus quam in prologis libri IV (77,16) aut libri V (97,9), idem in parte altera uerecunde roga iudicium alienum (43,39); nam in uersibus 43,27-37 magnae quidem spes, sed spes tantummodo insunt, non uero ea confidentia quae ex usu et laude iam parta oriri solet.

§ **109**. — Abiudicanda igitur est ab libro III pars prologi posterior. Libro I ne attribuamus uetat nomen Seiani (43,17) Nam cum propter fabulas fuerit accusatus a Seiano Phaeder (43,15-16), debuit liber fabularum primus scribi uiuente Seiano; ii autem uersus, per quos Phaeder accusatorem accusat, non potuerunt scribi nisi Seiano mortuo.

Ergo restat hoc unum, ut prologi partem non genuinam demus libro II. Atque huic libro ea conuenit optime. Eundem hic alloquitur poeta candidum iudicem (43,39) cui in prologo libri II commendat breuitatem suam (33,12), cuius laudes in epilogo libri II pro *felicitate* sibi esse dicit (43,1-3). Quae de se Phaeder, quae de fabularum genere profitetur, ea in libro II bene erant collocata, quia cauerat olim Seianus ne liber I in publicum prodiret (de qua re dicitur §§ 135-136), uidebaturque legentibus liber II nouum noui poetae opus.

§ **110**. — Sane habet liber II iam prologum, qui uidetur esse integer, nisi quod aut periit, aut obscuratum est mendo aliquo, nomen candidi illius iudicis, quem nescimus quis fuerit. Praeterea habet liber II iam epilogum. Sed breuior est ille epilogus quam uulgo creditur. Nullo enim pacto cohaerent uersus priores undecim (nobis fab. 42) cum sequentibus. Neque modo non cohaerent, sed est cur necessario separari debeant; immo uix credas trecentos per annos toleratum esse ut post *Quod si*..., *Si*... (42,8-11) statim diceret Phaeder *Si*..., *Sin autem*... (43,1-8), iuxtaque enumerarentur duo condicionum paria quae nihil inter se commune habent. Separanda est igitur fabula 42, id est narratio de Aesopi statua breuis cum longo epimythio, in qua poeta non cum Particulone aut Eutycho aut Phileto aut alia quauis persona rem habet, uerum cum toto *Latio*, ab octo uersibus quorum primus hic est :

43,1 Si nostrum studium ad aures peruenit *tuas*.

§ **111**. — At mire congruunt ii uersus cum parte prologi libri III non genuina. Vtroque loco alloquitur Phaeder hominem quendam litteratum. Vtroque de calamitate sua conqueritur :

II EPIL.	43,3	Omnem *querelam* submouet felicitas...
	43,7	*Fatale*. . . . corde durato feram
		Donec fortunam criminis pudeat sui.
III PROL.	43,19	Dignum faterer esse me *tantis malis*,
		Nec his *dolorem* delenirem remediis.

Altero loco inducit ad legendum certam personam (43,1-2), sicut iam in prologo libri II fecerat (33,11); altero se *induxisse* dicit (43,39). Altero postulat ut *arte fictas fabulas* animus sentiat (43,2); altero docet quomodo in fabulis eludatur calumnia *fictis iocis* (43,13). Vnde apparet coniungendos esse locos. Iam quanto melius introducuntur uersus de seruitute fabularum inuentrice! Qui *corde durato* loqui incipit, eo inuitus deuenit ut fateatur se *dolorem delenire*. Qui ob animi aegritudinem rauulas nescioquos obiter carpebat, ecce praeter exspectationem transit ad ipsum aegritudinis auctorem. Insigne est totum restituti epilogi initium (43,1-20) uno eodemque affectu.

Valde discrepat ea pars epilogi a genuino libri III prologo, in quo Phaeder animum placidum coactus assumit. Hic et sui et *neniarum* suarum conatur esse immemor; de Eutychi negotiis, de Eutychi feriis, de Eutychi amicis et uxore loquitur; Seianum non nominat; ne liuorem quidem aperte incusat, sed leniore uocabulo fastidium; cumque intellegat sibi esse periculum ne in amaritudinem quandam uerborum delabatur, hilarem rursus se facere properat, ad Sinona et Priamum confugit atque ad Aesopi non *seruitutem*, sed *stilum*; iam congerit uoces faustas : *magnas opes*, *dulce lucrum*, *honorem*, *merita*, *laetabor*, *se oblectent*. Qui ergo animus « sentiet uim carminis », ille non dubitabit quin recte separauerim ab hoc prologo illud tristioris epilogi fragmentum (quamuis utriusque frustula coniuncta legantur ap. Wiss. v 8 et Rom. IV 23; nam etiam 42,1 et 43,14 coniungunt Wiss. v 11, Rom. IV 22).

§ **112**. — Igitur quod usque adhuc lectum est post genuinum libri III prologum, reuera ante eundem prologum collocandum est. Folia duo puto fuisse in codice aliquo inter se commutata, ex quibus alterum continuerit prologi uersus 32 cum titulo, alterum illos uersus 31, qui epilogo libri II reddendi sunt; praeterea debuerunt reseruari rubricatori, inter epilogum et prologum, lineae uacuae in quibus talia scriberentur : PHAEDRI AVG. LIB. LIBER II EXPLICIT, INCIPIT LI-

BER III FELICITER. Itaque uidentur continuisse singula folia lineas tricenas quaternas. In illo quod primitus prius erat fuerunt lineae uacuae tres, in posteriore linea uacua una. Transit igitur disquisitio nostra a poeta ad ueterem codicem (ille codex deperditus est, qui hic uocatur *X*).

§ **113**. — Neque iam de animi affectibus loquendum est, sed de computatione linearum. Nam si reuera in codice *X* duo deinceps fuerunt folia quae constarent lineis tricenis quaternis, neque plures neque pauciores lineas continere debuerunt cetera folia. Ergo firmior fiet coniectura nostra de foliis commutatis et de parte prologi praecedenti epilogo reddenda, sicubi apud Phaedrum recurret numerus linearum 34.

§ **114**. — Primum uidendum est quot lineae fuerint ab initio totius operis ad uersum 43,8, qui ultimus fuit ante folia commutata. Sunt autem uersus 536, fabularum tituli 41, praeterea totius operis titulus; denique inter 32,13 et 33,1 titulus mendosus (§ 139) PHEDRI AVG. LIBERTI LIB. SECVNDVS INCIPIT LIBER TERTIVS FELICITER. Hunc adnumerandum non arbitror, non modo quia suspecti insunt librorum numeri, sed etiam quia praecedit lacuna, in qua periit opinor qui antiquitus traditus erat libri II titulus. At non adnumerato adulterino titulo fiunt in summam lineae $578 = 34 \times 17$. Folia igitur 17 compleuerunt illa priora; commutata autem inter se folia fuerunt decimum octauum (in quo scripti erant uersus 43,9-39) et decimum nonum (in quo fab. 44, id est libri III prologus).

§ **115**. — Inter folia commutata et uersum 54,39, qui in *PR* litteris maiusculis rubris ad instar tituli exaratus erat, sunt uersus 159, fabularum tituli 10, in summam lineae 169. His addita una lineae fiant $170 = 34 \times 5$, quae compleant folia quinque a uicesimo ad uicesimum quartum. Videtur igitur uersus 54,39 fuisse primus folii uicesimi quinti, id est primus quaternionis quarti, ideoque fuisse in codice *X* litteris rubris

conscriptus. A codice *X*, in quo insigniebant litterae rubrae quaternionis initium, transmissus est imitatione caeca ille ornatus ad codices *PR*.

Cur autem deficiat in nostra computatione linea una, certo dicere non possum. Casu fortasse euenit ut uersiculus unus bis scriberetur. Veri tamen similius uidetur mihi distributum esse laborem describendi Phaedri inter duos librarios, quorum uterque tres quaterniones confecturus fuerit[1], ideoque praescriptum esse alteri ut a uersu 54,39 inciperet, sed, qui sic iusserat, errasse in computandis lineis, aut parum accurate egisse. Inde etiam repetendum crediderim quod in foliis commutatis (fol. 18 et 19) paulo plus spatii titulo libri II supplendo relictum erat quam fuisse uidetur necesse; nempe perspexerat fortasse librarius prior pauciores sibi esse attributas lineas quam quibus quaternio tertius ad finem legitimum deduceretur.

Vtut est, id admittendum non est quod facillime quis coniciat, exstitisse in codice *X* uersum qui in *PR* non compareat. Nam quamquam post 51,24 lacuna haud dubia agnoscenda est, uersum ne in *X* addamus uetat ratio arithmetica codicis *Y*, a quo codex *X* defluxit; u. § 129.

§ **116**. — A uersu 54,39 ad 82,28 exstant in *P* quae uersus conficiant 222 (nam in unum conflati leguntur duo uersus 59,11-12, quos ut hodie distinguamus permisit testimonium Perotti) cum fabularum titulis 14 et libri titulo 1. Fiunt in summam lineae 237, si libri titulus unam lineam occupauit; sin duas, quod ueri similius uidetur, lineae $238 = 34 \times 7$. Compleuit igitur illa textus pars folia septem a uicesimo quinto ad tricesimum primum, debuitque folium tricesimum secundum incipere a uersu 82,29. Qui uersus sicut 54,39 aliquid habet in *P* prorsus insigne. Nam ita scriptus est in noua linea cumque littera initiali *A* maioris formae, *Aesopus media subito*..., quasi fabulae

1. Vbi rursus codicis *X* apographum factum est, fortasse traditi sunt ex eo quaterniones terni librariis singulis exscribendi. Sic intellegas cur rubricatori reseruauerit uersum 54,39 alter librarius, quid praecederet omnino ignorans.

esset primus, atque praemittitur litteris maiusculis rubris *AESOPVS* ad instar tituli. Vnde concludas in *X* fuisse *AESOPVS media subito*; scilicet uocem totius folii primam exaratam fuisse litteris maiusculis rubris. Itaque uidentur in *X* insignita esse uersu integro rubro initia quaternionum, syllabis aliquot rubris initia foliorum; omnes autem litteras rubras fuisse formae maiusculae. Simili ornatu distinctum fuisse codicem Plauti aliquem, a quo defluxerint codices nunc superstites *BDEJ*, indicauimus in editione nostra Amphitruonis Plautinae. Aliis quaerendum relinquimus, eodemne forte e monasterio oriundus fuerit Plautinus ille archetypus atque Phaedri codex *X*. — Etiam Phaedri codex *Y* habuit aliquid simile (§ 128).

§ 117. — Peruoluenti mihi editionem codicis Rosanboniani *P*, ab Vlixe Robert summa cum diligentia et summa cum peritia rei palaeographicae comparatam, hoc maxime laudabile uidebatur quod ipsa operis ratio ab omni parte bona erat, ab omni parte utilis. Hic enim uidere est iam primo conspectu quid in quaque pagina, quid in quaque linea, quid inter lineas stet; quae plerumque docti aut referre non curant aut obscure significant. Neque tempus atque operam perdunt legentes aut errori fiunt obnoxii, qui ab Roberto non cogantur confusa distinguere, non dissimiliter enuntiata comparare, non alieno loco dicta quasi fugientem praedam persequi. Quin erat in quo illae typis confectae tabulae photographicis praestantiores essent; nam solent imagines photographicae uel optimae colores obscurare, ut ab atramento rubricam non distinguas; at quae in *P* litterae rubrae essent Vlixes Robert non dico enotauit, uerum ipsis « oculis fidelibus » subiecit. Itaque rem in editione Roberti statim animaduerti, quam me numquam docuisset liber aliter institutus. Litterae fabularum initiales cum sint in toto Phaedro numero 102, omnes non ab librario exaratae, uerum ab rubricatore, colore sunt eae partim rubro, partim nigro (nigriore quam est librarii atramentum).

Variandi gratia esse adhibitos colores duos credibile non est, ita dispari numero sunt utriusque coloris exempla; nam litterae initiales nigrae sunt 95, rubrae 7 tantummodo (fabb. 19, 21, 23, 27, 36, 45, 76). Per codicis *P* condicionem non explicatur diuersitas colorum, nam modo in pagina summa, modo in media adhibita est rubrica.

Itaque repetenda est ex codice uetustiore, ex quo *P* defluxerit, causa cur haec et illa fabula littera rubra insignita sit. At computatis lineis cognoscitur uersum fabulae 18 ultimum stetisse in linea codicis *X* 238ᵃ, id est in calce folii septimi. Igitur in folio octauo continebat linea prima titulum fabulae 19, linea secunda uersum ab *N* rubra incipientem *Nemo libenter recolit*.... Fabulae autem 45 praecedebant in *X* folia inter se commutata decimum octauum et decimum nonum. Igitur in folio uicesimo continebat linea prima titulum fabulae 45, linea secunda uersum ab *A* rubra incipientem *Anus iacere uidit*.... Denique debuit in folio quadragesimo secundo continere prima linea titulum fabulae 76, secunda linea uersum ab *S* rubra incipientem *Supersunt mihi quae scribam*.... Nam in prima linea folii tricesimi secundi stetit ut diximus uersus 82,29; ab eo autem uersu ad ultimum fabulae 75 uersum leguntur in *P* (82,29—91 et 64—75) quae efficiant uersus 322 et fabularum titulos 20, in summam lineas 342, qui numerus proxime abest ab hoc, $340 = 34 \times 10$. Neque id magni momenti est, quod duabus lineis maior est summa quam expectamus. Nam turbae complures sunt in hac Phaedri parte, quibus consideratis conicias potuisse in *X* omitti a prima manu uersum 84,19 aut 84,20, uersum 68,15 aut 68,16, uersus 68,29-30, multos ex uersibus 74,13-19, uersum 75,27 aut uersus 75,26-28. Item potuerunt in unum conflari uersus 74,5-6, contra bis scribi uersum 86,1 : at si utrumque factum esse statuimus, praetereaque, propter iteratum nomen Simonidis, post

75,25 Mandant ut ad se prouocet *Simonidem*

omissos esse a prima manu (ut etiam apud Perottum euenit, utque facile, propter interpositum in *PR* 75,27, credas in *X* euenisse)

75,26 Illius interesse; ne faciat moram;
75,28 Homo perturbatus excitat *Simonidem*,

stat ut dixi titulus fab. 76 in prima folii linea, tertiumque habemus exemplum litterae initialis rubrae in folii linea secunda. Vt igitur, ubi a uersu incipiebant codicis *X* folia, rubrica scriptae erant uersus syllabae primae, ita, siquod forte folium a titulo incipiebat, rubro titulo rubra subiciebatur littera initialis. Ceterum, computatione linearum facta in tota illa textus parte quam ex *X* desumptam seruauit codex *P*, inueni non necesse esse ut ullius fabulae, praeter 19, 45 et 76, in prima folii linea titulum collocemus[1].

§ **118**. — Ita uidetur constare de origine litterarum initialium rubrarum trium. Aliae restant quattuor (fab. 21, 23, 27, 36). Ex his duae (*M* in *Mustela* 23,1, *N* in *Nulli* 27,1) collocatae sunt in *P* in initio paginae uersae; sed similiter collocatae sunt initiales nigrae fabularum 8, 15, 83.

§ **119**. — Ex iis quae disputauimus uidentur haec esse ueri simillima: defluxit codex Rosanbonianus *P* eiusque gemellus *R* ex codice quodam *X* cuius folia continuerunt lineas tricenas quaternas; inter se commutata fuerunt in *X* folia decimum octauum et decimum nonum; maiusculis rubris ornata erant foliorum initia; incipiebat

folium 8um a titulo 19,
folium 18um (19um) a uersu 43,9.
folium 19um (18um) a titulo 44,
folium 20um a titulo 45,
folium 25um a uersu 54,39,
folium 32um a uersu 82,29,
folium 42um a titulo 76.

1. Saltem sic est, si eae turbae admittuntur quas modo dixi. Nam cum primum aliis coniecturis indulsissem, modo fabulae 90, modo fab. 69 aut 71 aut 75, quae litteram initialem habent nigram, incidebat titulus in primam folii lineam.

§ **120**. — Quibus cognitis plerumque facile fuit per rationem arithmeticam inuenire ceterorum folium initia. Omnia adscripsi in textus margine sinistra; item paginarum uersarum initia. Quoque melius possent legentes et de disquisitione nostra iudicare et noua eiusdem generis instituere studia, per totum opus adscripsi computationem linearum continuam, in qua pro lineis singulis numeraui quotquot uersus aut tituli in *P* seruati sunt.

§ **121**. — In ipso *P* et simili modo in eius gemello *R* abolita est distinctio uersuum (u. ad 1,2). Vnde patet non descriptos esse eos ex codice *X*, uerum ex uno eodemque codicis *X* apographo, in quo primum, ut chartae parceretur, illa distinctio sublata est.

De codice Y
et de fabulis librorum III-V.

§ **122**. — In textu Phaedri, qualem exhibet codex *P* et exhibebat codex *R*, turbas inesse testantur poematia 76-77, 96-97. Nam 77 aperte prologus est libri IV (*u.* 14 *Quartum libellum...perleges*); epilogus igitur libri III est 76; ergo titulus LIB. III EXPLICIT INCIPIT LIB. IIII legi debet inter 76 et 77, id est in pagina codicis *P* 68; reuera autem legitur ille titulus p. 46. Atque si 77 libri IV est prologus, eiusdem libri epilogus esse debet 96, in quo rursus appellatur *Particulo*; sed miro modo distat a prologo epilogus paginis codicis *P* non plus sex, fabulis item sex (97-98 et 92-95), ex quibus una (97) uidetur esse libri alicuius prologus (u. 10 *Sed iam ad fabellam...feror*). Itaque docti complures haeserunt in partiendis libris; iam anno 1599 Rigaltius discerpsit fabulam 78-79, partem priorem libro III addens, ex parte posteriore fingens aliquem libro IV prologum; libri V initium uolunt esse alii 97, alii 99; etiam sunt qui inde ab 78 usque ad 103 nihil numerent nisi libri IV fabulas, ut liber V prorsus euanescat.

Quoque facilius in his rebus liceret indulgere coniectando, nonnulli ut Vrsin, Gude, Burman ipsam inuestigandi lucem restinxerunt; illum enim libri numerum, u. 77,14 ab ipso poeta significatum, uariis modis fecerunt aut mendacem aut nullum, pro tradito *Quartum* scribentes *Quintum*, *Quarum*, *Harum*.

Tandem fuit qui rectius iudicaret non de uniuerso quidem turbarum genere, sed tamen de ipsis poematiis 76-77, 96-97. Ea laus fuit Broterii, qui uir primus anno 1783, immutato audacius codicum ordine, iussit librum III desinere cum 76, librum IV incipere cum 77 et desinere cum 96, librum V incipere cum 97. Broterii inuentum cupide arripuerunt recentiores fere omnes; pauci ut Orellius cautiores se praebuerunt, quorum tarditatem laudabilem esse ostendit nimia ceterorum festinatio. Nam nullo modo, quia Brotier partem ueritatis perspexerat, ideo ueritatem reliquam legitimum erat obscurare. Loco autem mouere unum et alterum poematium, cum dicere nequeas cur prauus ordo sit traditus in libris, atque quem tu prologum aut epilogum libro suo reddas, eundem a fabulis cohaerentibus seiungere, quid aliud est quam turbas nouis turbis cumulare, maiorem parare sequentibus molestiam, denique cauere, ut ita dicam, nequis se umquam ex auctis difficultatibus expediat? Equidem memini, cum assidue uersarem editionem Luciani Mueller, nonnihil suscensere uiro clarissimo, quod offerretur mihi ille textus ordo Broterianus, non sicut in libris manu scriptis socordia tantummodo corruptus, sed cura et industria factus corruptior.

§ **123**. — Ergo Broterium ita mihi ducem sumpsi, ut quae recte docuisset libens acciperem, alia tamen statuerem aut posse inueniri aut saltem debere inquiri. Primum inuestiganda erat causa turbarum. Quae uix alia fuisse poterat, ut mihi uidebatur, quam foliorum alicuius codicis inter se mutatio. Mutata autem inter se si sunt olim folia, promiscue cum prologis et epilogis debuerunt loco moueri nonnullae fabulae. Atque nonnumquam fieri debuit ut aliqua fabula scripta fuerit

in duobus foliis, quibus disiunctis aut prior pars sola aut posterior in alienum locum peruenerit, ut deficiente altera parte lacuna notabilior in hodierno textu agnosci possit; quali casui procul dubio referenda est origo lacunarum quae sunt ante fab. 14[a], post 32, ante 64, post 90, post 91, ante 92, post 98, etiam fortasse post 85. Ita fabulae exitus, si deperditum est initium, folii incipientis memoriam seruat; exeuntis contra folii fabulae initium, si deperditus est exitus. Denique, sicubi inter se commutatae sunt foliorum series duae, necesse est appareat ratio aliqua arithmetica in computandis utrimque lineis. Qui igitur quaestionem mihi proposueram de ordine textus philologicam, quaestionem de linearum numeris mathematicam instituere debui.

§ **124**. — Neque me paenituit quod eam uiam essem ingressus. Cum enim uiderem esse lacunam post V I 17 (98,17), ut in illo ipso uersu folium olim desiisset, haberemque pro certo incepisse olim folium una cum V PROL. (97), cui poematio praeit nunc in libris IV PROL. (77), inueni fuisse scriptos in hoc folio uersus 27 et titulos 2, occupantes lineas 29. Tricesima praeterea debuit esse linea (nam in folio impar esse nequit linearum numerus), quae relicta fuerit rubricatori titulum libri V exaraturo. Itaque intellexi exstitisse aliquando Phaedri codicem cuius folia lineas continuerint tricenas. Quem codicem uolui per litteram *Y* designari.

§ **125**. — Cum liber V inceperit in *Y* una cum folio nouo, necesse est desiisse una cum folio praecedenti librum IV, cuius epilogus (96) legitur nunc loco alieno post fabb. V II-V (92-95). At fabulae V II deest initium, ut olim folii primus fuerit uersus V II 3 (92,3). Ab hoc autem uersu ad ultimum libri IV, id est ad IV EP. 9 (96,9), uersus sunt 85, tituli 4; addenda est linea una uacua, titulo libri reseruata; sunt igitur in summam lineae $90 = 30 \times 3$. Vnde colligitur folio illi singulari, quod continuit V PR.-I (97-98), praue esse postpositam, quae

praeponi debebat, foliorum trium seriem, continentem V II-V et IV EP. (92-96). Neque recte attribuuntur libro V fabulae 92-95, sed reuera, sicut 96, fuerunt libri IV; cf. ad 95,4. Nunc uides quid intersit inter textus medicinam Broterianam atque nostram. Loco mouet Brotier solum 96; mouemus nos quasi unum indiuiduum corpusculum quicquid secum 96 ducit. Velut si forte uideas in lacu fluitare caesariem humanam, prehensis crinibus ipsum hominem extrahere conuenit. At Brotier cum forfice accurrit, tonsoque homine sedulus capillos in ripa sistit saluos.

§ **126**. — Vna cum folio desinebat IV PROL. (77), cui succedit folium illud singulare. Vna cum folio incipiebat IV XV (64), quae fabula initio mutila est. A 64 autem ad 77 sunt uersus 255, tituli fabularum 14, in summam lineae 269. Sed inter III EPIL. (76) et IV PROL. (77) reseruari debuit una linea scribendo libri titulo. Qua adnumerata fiunt lineae 270=30×9. Nouem igitur folia apparet esse loco alieno posita. Atque fabulas IV XV-XXVI (64-75), quae cum III EPIL. (76) cohaerent, perspicuum est fuisse olim libri tertii, nullo modo libri quarti [1]. Brotier dum epilogum solum transponit, non modo ipse complures fabulas siuit exsulare ab legitima sede, sed in saeculum et amplius prohibuit ne eo reuocarentur ab aliis. Quod iterum moneo, non quo mihi placeat insectari uirum doctum de Phaedro optime meritum, sed quia de omni artis criticae ratione nunc agitur. Non celando aut clependo sanari solent menda codicum, sed illuminando; neque errori humano is satis officit qui citius damnat, explodit, abigit, fugat, sed qui deprehensum tenet fortiter et obseruat et ostentat et cogit aciem oculorum pati.

§ **127**. — Desinente una cum folio poematio IV PROL. (77), una cum folio incepisse necesse est quod sequitur IV I (78). Vna autem cum folio desinebat quod ex fabula mutila IV XIV (91) superest; ei enim folio postpositum est olim alterum folium

1. Ingratum non est, quod in alio libro uersus 77,19, in alio 71,3 nunc legitur.

incipiens cum fabula libri tertii IV xv (64). Computatione facta uidemus contineri in IV I-XIV (78-91) uersus 199, titulos rubrica scriptos 13, titulum atramento scriptum 1, in summam lineas 213. Sed adnumerandus non est titulus atramento scriptus (fab. IV IV, nobis 81), qui nisi olim defuisset, rubrica ut ceteri esset exaratus. Neque adnumerandus titulus adulterinus AESOPVS uersui 82,29 praepositus; qui inde natus est quod in codice *X* fuit uersus *Aesopus media*... prima folii linea (§ 116). Restant igitur lineae tantummodo 211. Nos autem exspectaremus 210 = 30 × 7. Sed contra Phaedri mentem uidetur esse additus tit. POETA inter fabb. arte cohaerentes 78 et 79 (sic etiam inter 33 et 34 additus est tit. IVVENCVS LEO ET PRAEDATOR, qui in *Y* uidetur nondum exstitisse; § 129[1]). Compleuerunt igitur fabb. 78-91 folia septem[2].

§ **128**. — Horum foliorum continuerunt paenultimum et ultimum fabulas 86-91. Inde factum est ut in prima linea folii paenultimi scriberetur litteris maiusculis rubris, in speciem tituli, uersus 86,1 (IN PERICVLVM SIMVL AC VENIT CALLIDVS). Sic exaratum esse uidimus in *X* uersum 54,39, sed in eo folio quod quaternionis esset primum. Conicere igitur licet fuisse in *Y* quoque primum in quaternione illud folium quod fabulam 86 continuit.

Vnde concludas non cohaesisse folia duo, continentia fabulas 86-91, cum foliis quinque continentibus fabulas 78-85; itaque minime constare utra fabularum series fuerit prior. Libri quarti fuisse 78-85 certum uidetur; nam nisi in margine superiore (cf. § 139) seruata esset eius libri memoria, non legeretur in *PR* inter 63,12 et tit. 78 titulus PHEDRI AVG. LIBERTI LIBER III EXPL. INCIPIT LIBER IIII. At fabulas 86-91 uix est cur confidamus stetisse primitus post IV VIII (85) uel post IV PROL. (77) potius quam post III XIX (63) uel

1. Etiam fortasse tit. DEMETRIVS REX ET MENANDER POETA inter 97 et 98, si in computatione adnumerari debet uersus post 98,2 deperditus.

2. In quarto et quinto similiter collocati erant u. 83,4 et 84,10, quos uide.

post V I (98)[1]. Vtut est de 86 et insequentibus fabulis, quae praecedit fab. 85 uidetur esse mutila. Itaque post quinque folia, quae fabb. 78-85 olim continuerunt, restituenda est memoria deperditi folii aut unius aut etiam complurium.

§ **129**. — Vna cum folio incipiebat ut uidimus fabula IV I (78). Vna igitur cum folio desinebat quae ei in codicibus praemittitur fabula III XIX (63). Mutila autem est fabula I XXXI (32), quae exitu caret; ergo incipiebat una cum folio qui subsequitur libri II prologus (33). At continent 33-63 uersus 541, fabularum titulos 30, in summam lineas 571; cum uideatur contra mentem Phaedri additus titulus IVVENCVS LEO ET PRAEDATOR inter 33 et 34 (sicut, ut dictum est § 127, inter 78 et 79 titulus POETA), genuinae lineae remanent $570 = 30 \times 19$. Compleuerunt igitur fabulae 33-63 folia decem et nouem.

Ex his uidentur decem, quae prima erant, continuisse fabulas 33-48, illa autem nouem folia, quae post ueniebant, fabulas 49-63; dubitationi tamen locus est. Nam si reuera ita distributa fuerunt folia illa decem et nouem, nullum reseruatum erat spatium in quo scriberetur titulus libri III. Fortasse reseruata erat ei titulo una linea, sed in *Y*, sicut in *X*, ex uersibus duobus 59,11-12 factus erat uersus unus; quod si fuit, nulla ex fabulis 33-63 incepit una cum folio nouo.

§ **130**. — Hactenus cum aliqua fiducia progredi licet in distribuendis codicis *Y* foliis. Quo facilius de computationibus nostris iudicari posset, curauimus ut in hac editione singulae paginae paginas codicis *Y* repraesentarent. Cum ordinem foliorum genuino propiorem restituerimus, adscriptis inter uncos paginarum numeris significauimus ordinem in codicibus *PR* traditum. Itaque nullo negotio scire poterunt legentes

1. Libro III minus libenter tribuam, qui iam omnium est longissimus, quam libro IV aut V; cf. tamen § 163. — *Iuppiter* nominatur in fab. 87, ubi apud Babrium est Προμηθεύς; at Promethea Phaeder induxit in libro III, non in libro IV; unde fortasse de libro fit indicium qualecumque. In fabula 90 collato Dione Cassio uidentur derideri quae C. Caligula circa a. 40 egit; nescimus autem quo primum tempore ausus sit Phaeder defuncti Gai memoriam aggredi.

quid nos quoque modo transposuerimus. Immo nihil prohibet quin ipsas editionis nostrae chartulas cultro abscidant, quibus inter se transpositis ordinem codicum instaurent.

§ **131**. — Ex codice *Y* defluxisse codicem *X*, non contra *Y* ex *X*, inde colligitur quod in distribuendis codicis *X* foliis cogimur sequi ordinem codicis *Y* iam foliis transpositis perturbatum. Ceterum defluxit *Y* ex alio codice, transpositis foliis itidem perturbato, ex quo sua hausit paraphrastes; u. ad fab. 90.

Liber autem quo usus est Perottus defluxit aut ex *Y* nondum perturbato (cf. 92,1-2 et 98,18) nequedum mutilo, aut ex codice uetustiore, de quo nihil quod dicam habeo. Ex interpolatione legitur *neptuno* 61,4 et in *PR* et apud Perottum. — Cf. 75,26-28 [cum § 117].

Neque quicquam praedicare ausim de origine schedae Danielinae *D* (u. fabb. 12-14, 18-22). In cuius textu hoc notatu dignum est, laborare uersum 20,3 eodem mendo atque in textu codicis *P*; iam corruptus erat ut uidetur locus in codice quem paraphrastes adhibuit. — Interpolata est scheda ex paraphrasta 14,12.

De codice Z
et de fabulis librorum I-II.

§ **132**. — Commutatis inter se codicis *X* foliis diximus esse perturbata poematia 43-44. Codicis autem *Y* commutatis foliis transierat pars libri tertii in quartum, pars quarti in quintum. De turbis eiusdem generis nunc disserturi sumus, per quas pars libri secundi transierat in primum. Rursus necesse est commutata fuerint inter se alicuius codicis deperditi folia; qui codex cum et ab *X* et ab *Y* diuersus fuisse uideatur, per litteram *Z* in hac disquisitione indicabitur. Sed antequam de eo disputamus, praemittenda sunt nonnulla de utriusque libri temporibus et de Phaedri aetate.

§ **133**. — His rebus cognoscendis utiles sunt praecipue uersus notissimi

43,15 Excogitaui plura quam reliquerat [*scilicet Aesopus*],
In calamitatem deligens quaedam meam.
Quodsi accusator alius Seiano foret,
Si testis alius, iudex alius denique,
Dignum faterer esse me tantis malis...

Vnde hoc primum apparet, Phaedrum in calamitatem deuenisse uiuente adhuc Seiano propter fabulas; deinde hoc, uersus de Seiano conscriptos esse illo mortuo. Ante Seiani igitur mortem, id est ante annum p. Chr. n. 31, compositus est liber I. Contra post eundem annum 31 compositus est, aut certe editus, liber II. Nam quamquam uulgo leguntur uersus de Seiano in libri III prologo, nobis nihil certius est quam reuera reddendos esse eos libri II epilogo (§§ 105-112).

Neque haerendum est in opinione doctissimorum hominum, qui putauerunt et librum I et librum II editos esse ante Seiani mortem. Velut Lucianus Mueller p. vii (anno 1877), « iam regnante Tiberio cum *duo fabularum uolumina* emisisset, Seiani fraude est circumuentus »; Ludouicus Schwabe in quinta editione libri Teuffeliani Geschichte der roem. Literatur § 284,2 (1890), « *die zwei ersten Bücher* scheinen *zusammen* (unter Tiberius) herausgegeben zu sein »; Hervieux in secunda editione (1893) t. I p. 22, « on ne peut conserver aucun doute sur l'époque de l'apparition *de ses deux premiers livres* »; Robinson Ellis (1895) p. 4 : « It was probably in the reign of Tiberius that he published *his first two books* of fables. I should suppose that Book i. was published by itself... It was *after the publication of Book ii.* that Phaedrus was attacked by Sejanus ». Fraudi enim fuit omnibus error ille ueteris monachi, qui codicis *X* folium decimum nonum decimo octauo praeposuit; quo errore semel detecto quicquid in eo nitebatur statim cadit et ad nihilum redit.

§ **134**. — Siquis est autem qui de restituto ab nobis ordine

dubitet et a testimonio codicum recedere nolit omnino, uideat ne incredibilia testentur codices. Nam si uiuente Seiano et imperitante Tiberio editus est liber II, quo pacto potuit princeps in eo libro (II v 7, nobis 38,7) uocari hoc nomine, *Caesar Tiberius*? num obscurum per se futurum erat *Caesar*, aut poterat positum putari pro *diuo Iulio* aut *diuo Augusto*? num praenomine distinguendus erat *Tiberius*, non adiectiuo, uelut *inuictus*, aut aliqua laude longiore? Compluries sane Velleius *Ti. Caesarem* dixit et *Caesarem Tiberium*, sed in opere historico, in quo tempora sedulo distingui debent et principes; cauitque Velleius satis superque, ne parum adulator existimaretur; at in Phaedri fabella pro contumelia fuisset nomen sic nude adhibitum.

Fac autem recte se habere illud *Caesar Tiberius*. Num licuit principis sales, sicut histrionis aut scurrae, publicae memoriae sponte mandare? Sin permiserat ipse aut iusserat princeps, id dici non debuit? Atqui iocatus erat Tiberius non coram populo, non in circo aut theatro, quo garrulitas Phaedri excusatione dignior fuisset, sed domi suae dum in horto ambulat aut solus aut cum paucis. Quanta narrandi intemperantia liberto praesertim tribui debet, qui talem fabellam conscripserit et ediderit, talemque *calamitati* suae parauerit causam! Sed id non fuit, opinor, quod intempestiue *delegit* ex Aesopo. Itaque aut libro II abiudicanda est fabula II v et in ea testimonium codicum reiciendum, aut contra fabula suo stare loco debet, sed liber II conscriptus est non modo post Seiani (anno p. Chr. n. 31), uerum post Tiberii mortem (anno 37). At ut iam docebo, ne in anno quidem 37 sistere debemus; aliquot demum annis postea editus est liber II.

§ **135**. — Seneca in Consolatione ad Polybium (VIII 27) ita de fabulis loquitur, quasi Phaedri opus nullo modo nouerit: « Non audeo te eo usque producere ut *fabellas* quoque et *Aesopeos logos*, *intemptatum Romanis ingeniis opus*, solita tibi

uenustate conectas[1]; difficile est quidem ut ad haec hilariora studia tam uehementer perculsus animus tam cito possit accedere; hoc tamen argumentum habeto iam corroborati eius et redditi sibi, si poterit a seuerioribus scriptis ad haec solutiora procedere. » Satis mire : haec enim scripsit Seneca anno 43 aut 44 (ut colligitur ex XIII 32, in quo loco alludit ad Claudii expeditionem Britannicam : « hic Germaniam pacet, *Britanniam aperiat*, et patrios triumphos ducat et nouos »); itaque anni effluxerant duodecim aut tredecim a morte Seiani, quindecim fortasse aut uiginti, ex quo calamitatem attulerat Phaedro liber fabularum primus.

Sane exsul erat Seneca iam secundum uel tertium annum, neque fortasse quae cottidie apud bibliopolas edebantur statim cognoscere poterat; non tamen rectum esse potest quod apud Teuffel-Schwabe legitur (§ 27,2) : « Da er damals in der Verbannung lebte, so kannte Seneca den Phaedrus noch nicht ». Nam in exsilium missus erat imperitante iam Claudio a. 41, itaque, quo tempore missus erat, iam per decem annos et amplius potuerat Phaedri libellum legere et perlegere.

Nullam autem notitiam operis tam elegantis simul et tam noui peruenisse ad filium rhetoris, rhetorem ipsum et philosophum et πολυγραφώτατον et poetam et adulescentem, per se incredibile uidetur, praesertim cum in illo Consolationis loco Senecae sermo non illius hominis esse uideatur, qui se de litteris Romanis parum doctum existimet. Lectas Senecae esse olim fabulas, sed postea ex memoria omnino elapsas, non minus incredibile est; nam ut stili lepor eum fugerit, ut nihil suspicatus sit de locis Seiano parum gratis et de recondito sensu, neque etiam in mentem uenerit inquirere quinam illi essent homines, *qui fictis causis innocentes opprimunt*, ut non animaduerterit « intemptatum esse Romanis ingeniis opus », aliquid tamen erat quod diligentius attendere debuit homo in

1. Prius suasit Seneca Polybio ut Claudii res gestas conscriberet; nunc iubet a principe transire ad Aesopeas personas, quod prae candore nimio facere uix arbitror eum scriptorem, qui postea composuit Apocolocyntosin.

pangendis uersibus exercitatus et ingeniosus : senarii formam dico, a Phaedro instauratam simul et arte cum summa renouatam. Mentiri adulandi gratia Senecam putet fortasse, sicui turpissima Consolatio e manibus excidit; sed cauendum est ne nos in iudicandis illorum temporum moribus paulo simus quam decet iniquiores, itaque Senecam, quia sunt apud illum quae iure displiceant, statim pro uiro improbo habeamus; ceterum uix grata futura erat adulatio nimis aperte mendax, meliusque esset Polybio blanditus qui ab eo Phaedrum dixisset longe superari. — Itaque neque falsum dixit Seneca, neque tamen potuit esse aut ignarus aut immemor libelli a Phaedro editi. Vna restat uia, per quam expediri possit res primo aspectu perdifficilis; sed ea uia simplicissima est. Nempe editum exstabat anno p. Chr. n. 43 Phaedri uolumen nullum; ne primus quidem prostabat apud bibliopolas liber, conscriptus ante mortem Seiani, neque magis uenditabatur tunc temporis liber II. Quare diximus supra editum esse librum II aliquot demum annis post mortem Tiberii.

§ **136**. — Cur lib. I editus nondum fuerit causa cito excogitari potest. Nam curarat Seianus ne in publicum emitteretur; qui si scriptorem calamitate affecisset, librum autem lectitari permisisset, parum sibi uisus esset profecisse. Sane non *censuere patres* cremandas esse per aediles liberti fabulas, uelut anno 25 senatoris Cremutii Cordi annales (Tacit. Ann. IV 35), quia etiam ille odium Seiani meruerat (Seneca ad Marciam consol. XXII). Sed neque senatu neque aedilibus opus fuit; satis, quid impune liceret, intellexit et poeta ipse et quicumque forte in manibus exemplar libelli habebat. Quin ideo putauerim esse Phaedro uitam relictam, quia uix aliquot amicis innotuerant fabulae, altiusque silentium exspectabatur a paucorum pauore quam a caede, quae plurium sermonibus locum dedisset. Itaque neque exstitisse fabularum librum resciuit Seneca, neque esse propter senarios quosdam afflictum obscure hominem obscurum. Optima igitur fide credidit neminem Latinum

temptauisse ante Polybium Aesopeos logos. — Atque magni nobis est pretii, in hac re errasse Senecam. Nam disertissimo eius testimonio constat non Polybium quidem, sed Phaedrum aggressum esse primum ex omnibus Romanis ut id excoleret litterarum genus. Buecheler si recte in titulis Pompeianis agnouit fragmenta fabularum (u. p. xvi), compositae sint illae fabulae oportet inter annos 43 et 79.

§ **137**. — Quo tempore Seneca ad Polybium scribebat, anno igitur 43 uel 44, nondum licuerat Phaedro aut ueteres libri I fabulas tandem populo notas facere, aut, siquas nouas secreto conscripserat, altero uolumine comprehensas obicere, quasi iteratas ingenii primitias, laudi atque liuori. Ei ergo non profuerat quod primis principatus temporibus Gaius Caesar damnatis libris clarioribus ignouit (Sueton. Gai. 16 : « Titi Labieni, Cordi Cremuti, Cassi Seueri scripta senatusconsultis abolita requiri et esse in manibus lectitarique permisit »). Itaque certum uidetur, contra ac uulgo putant, nihil ex operibus Phaedri esse publicatum imperitante Tiberio, nihil imperitante Gaio. Claudii demum tempore, neque statim primis annis, prodierunt fortasse coniuncti, fortasse separati libellus uetustior et libellus nouus. Princeps erat Claudius Caesar, — usque ad Neronis principatum confugiendum esse non uidetur, — cum antecessoris antecessorem in fabula II v Phaeder *Caesarem Tiberium* nuncupauit.

Perspicuum fit iniuria, qui litterarum Romanarum historias conscribunt, in ordine temporum digerendo praeponere ex consuetudine Senecae Phaedrum. Nam sine dubio incepit Seneca litteratis Vrbis hominibus notus esse, priusquam de Phaedro quicquam suspicarentur; *maxime placuisse* ex oratoribus Senecam Gai Caesaris tempore ait Suetonius, qui ipsius Gai de Senecae eloquentia iudicium refert (Gai. 53), praeterque orationes scimus esse nonnullos eius libros ante Claudii principatum editos. Neque, quando post annum demum 43 liber II Phaedri prodiit, tuto opineris prodiisse librum V ante

annum 65, qui Senecae fuit uitae ultimus; inter singulos enim libros satis longa requiruntur temporis interualla, ut mihi quidem ueri dissimile non uideatur conscriptum esse librum V sub Vespasiano potius quam sub Nerone (§ 168). Certo igitur post initia Senecae Phaedri uera initia, fortasse post ultima Senecae Phaedri ultima collocanda sunt, ut in libris ex ratione temporum dispositis praeire iam non debeat Phaeder Senecae, uerum Seneca Phaedro.

§ **138**. — Fabulas nouas quo tempore edidit Phaeder, longe alia erat res publica quam illo quo primas conscripserat. Neque Tiberio erat similis Claudius, neque Seiano Messalina aut Agrippina, et decederant plerique ex senibus qui libertatem uiderant, et didicerant nobiles libertis adulari. Longe alius etiam ipse ni fallor erat factus poeta, iam non adulescentulus, iam et annis et calamitate nonnulla edoctus. Itaque id exspectandum est, ut multum liber II a priore abhorreat; credasque, si utrumque statim oculis perlustres, facile deprehendi posse quibus in rebus alter ab altero discrepet. Sed ecce noua quaestio oritur; nam ut esse debet dissimilitudo, ita distinctio non reperitur; ubi liber I desinat, ubi liber II incipiat, dixerunt quidem multi, sed uere dixit nemo.

§ **139**. — Mos adhuc fuit, ut libro II id nec aliud tribueretur quod in *P* legitur inter eius libri prologum (33) et prologum libri III (44), id est poematia 34-43 usque ad 43,8. Quo nihil posset esse rectius, si omnes Phaedri prologi et epilogi suo quisque loco legerentur in *P*; sed, ut ceteras turbas non memoremus, quamquam seruatae sunt in *P* fabulae libri IV, tamen huius libri prologus coniungitur prologo libri V.

Neque fortasse alius magis scriptor Latinus fuit huiusmodi perturbationibus per se obnoxius; nam siquo in monasterio erat eius exemplar solutis aut diuulsis quaternionibus atque foliis mutilatum, diuisum, dispersum, singulae tamen narrationes manebant fere intactae; quique monachus secum in cellulam abstulerat hanc aut illam textus particulam, ad calcem

tamen perlegere poterat totam breuiculam de lupo et agno, de uulpe et uua, de asino et lyra fabellam; uix autem mirandum est, si nonnullae membranae in cellulis remanserunt, aut intra codicis opercula sunt prauo ordine repositae[1]. Immo bonae fortunae tribuendum est, quod non omnes singillatim perierunt. Quod ex prologis et epilogis tam pauca interciderunt, id inde repetierim quod cupidius ipsae fabulae lectitabantur et asportabantur, prologi autem et epilogi pauciores delectabant, atque eos praesertim qui minus puerili erant ingenio.

Videas rogo igitur, quantulum fidei debeatur ordini codicis *P*. Cuius ordinis auctoritas eleuatur ipsius codicis *P* testimonio, in quo ante II PROL. (33) legitur titulus PHEDRI AVG. LIBERTI LIB. SECVNDVS INCIPIT LIBER TERTIVS FELICITER. Nondum exstabat hic titulus, ut supra indicatum est (§ 114), in archetypo codicis *X*. Qui eum confecit, uoluit sine dubio LIB. SECVNDVS *explicit*, INCIPIT LIB. TERTIVS. Itaque praecedentes fabulas tribuebat siue iure siue iniuria non libro I, ut nunc fit uulgo, uerum libro II; atque quamuis in parte textus priore nec compareret alter libri titulus nec alter prologus, poematium 33 tamen habuit pro prologo libri III. Errorem sane mirum, si talia ex sese ille homo excogitasset! Sed cur sic erraret aliqua in archetypo causa certo fuit. Transponuntur prologi facile, sed non facile delentur tituli in margine superiore appositi (cf. § 128). Itaque statuo exstitisse in archetypi marginibus, saltem eorum foliorum quibus libri II prologus statim succedebat, titulum LIB. II; qui titulus postea errori ansam dedit, sed per se et uerus esse potest et maiorem auctoritatem habet quam ordo foliorum et fabularum maximis turbis obnoxius.

§ **140**. — Redimus igitur ad foliorum commutationes; nam

1. Satis opinor nunc apparet, Rosanbonianam fabularum syllogen nullo modo esse, ut uoluit Lucianus Mueller p. XIV et XV, *anthologiam* ex codice Merouingicae aetatis *excerptam*. Neque magis *anthologia* ulla usus est Perottus (ibid. p. XXV). — Numquam separantur in *PR* eiusdem fabulae initium et exitus, quod comprobat fuisse tamen aliquam bibliothecariis ueri ordinis curam.

nisi commutatis foliis non potuit prologus ipsis fabulis non praeponi. Videndum est uerene attributae sint olim libro II quae fabulae prologo antecedebant.

Hoc primum animaduertendum est, nimis breuem esse nunc librum II. Nam continent poematia 33-43 lineas 214; at qui uulgo dicitur liber I (1-32) continet lineas fere 400; libri III mutili seruatae sunt lineae fere 600, libri IV mutili fere 320, libri V admodum mutili fere 100. Itaque ueri ualde simile est, reperiri posse in alia textus parte quod libri II olim fuerit.

§ **141**. — Secundo loco id notatu dignum est, non comparere libri I epilogum. Sane epilogo carere potuit liber I, tot annis ante reliquos compositus. Sed tamen si adesset ille epilogus, statimque sequeretur prologus libri II, haereret quicumque turbas quaereret; nunc nihil ab ea parte nobis obstare potest. Neque tantummodo deficit epilogus, sed ultima fabula (I xxxi = 32) mutila est. Lacuna igitur reperitur ante II PROL., quod certissimum est indicium codicis parum integri.

§ **142**. — Etiam intra ipsum librum II, qui uulgo fertur, detegitur lacuna. Sane nihil primo aspectu deesse certum est praeter epilogi titulum; cum eo tamen titulo intercidere potuerunt uersus nonnulli. Immo melius procedat uersus primus

43,1 Si nostrum studium ad aures peruenit *tuas*,

si prius interpellatus fuerit uocatiuo casu, uelut *amice*, in ipso epilogo ille quem poeta alloquitur; sic nomine interpellantur Particulo in epilogo libri IV (96,5), Philetus in ultimo uersu libri V (103,10). Nam in epilogo libri III quod deest uocatiuus, id minus offendit, tum quia non abrupte introducitur uox *tibi* (76,2), tum quia non nude *tibi* dicitur, sed additur *Distringit quem multarum rerum uarietas*.

Ante 43,1 siue in ipsius poematii textu aliquid omissum statuimus, siue negamus aut ignoramus, titulus certe abest, itaque lacuna est agnoscenda. Ergo habemus quo fabulas loco motas, si motae sunt, reuocare possimus.

§ **143**. — At si transpositis foliis migrauit pars libri II in librum primum, non modo post folia transposita (id est post I xxxi = 32) exspectari potest lacuna, sed etiam ante folia transposita, in medio igitur illo libro, qui primus uocitatur, spes est lacunae alterius inueniendae. Quam agnouimus praeeunte Dresslero inter fabulas 14 et 14[a].

Omnia igitur conueniunt indicia externa, quae foliorum commutationem comprobare possunt: titulus ille in codice *P*, libri II amplitudo iusto minor, lacuna intra librum II, atque in libro I series fabularum inter duas lacunas collocata. Neque obstat, quod inter eas lacunas lineae sunt 207, qui numerus neque per 30 neque per 34 diuiditur. Nam neque codicis *Y* neque codicis *X* folia dicenda sunt, cum codices ambo, ut ex editione perspicitur, lacunam libri II habuerint post lineam folii uersi nonam. De alio codice loquimur, quem *Z* diximus. Obliuiscendi erunt igitur illi in prioribus capitibus sollemnes nobis numeri 30 et 34, ubi ad quaestionem arithmeticam deuenerimus.

Sed aliud nunc agendum est, inuestigandaque diuersi generis indicia. Ipsae libri I fabulae, quas in suspicionem uocauimus, examinari debent ita ut constet utrum libro uetustiori magis conueniant temporibusque Seiani, an libro nouo et Claudii imperio. Id quoque quaeri debebit, congruantne melius singulae cum prologo libri I an libri II; nam comparatis prologis apparet in argumentorum delectu aliquid interfuisse.

§ **144**. — Fabula de cane in thesauro immoriente (I xxvii = 28), cuius uersum secundum supra § 30 contra Bentleium aliosque uindicauimus, ita miro argumento est ut putes non ex Aesopea sylloge haustam (in qua hodie haud comparet), uerum ab ipso Phaedro excogitatam. Qui cum odium atque contemptum diuitiarum prae se ferat (§ 170) diuitesque a *malis* non distinguat (89,7; 88,5) lucrumque improbis esse proprium arbitretur (94,8-11), ibi non modo perstringit *auaros*, uerum etiam *qui humiles nati dici locupletes student*. Non id

genus hominum intellegendum est, quos uernacula nos lingua « peruenisse » dicimus, qui saepe uidentur esse inurbani, inculti, inficeti, pictarum tabularum maximi emptores, pessimi iudices, non uero existimantur esse necessario foedi, abiecti, perfidi, crudeles; quin potest idem qui deridetur esse tamen bona fama, quod se praebuerit mitem aut munificum. Peiores notat Phaeder, quibus non labor aut industria, uerum turpitudo et scelus opes peperit. Eorum exemplar facit animal sibi inuisum (cf. fab. 68) canem, *educatum stercore*, stultissime auarum, sacrilegum, qui *humana effodit ossa*. At *triuio conceptus* dicitur idem canis, ut castigentur illi *humiles nati* homines.

Seianine amicos nescioquos putabimus tali imagine depingi, an quos enumerat Suetonius (Claud. 28) Claudii libertos, Pallantem, Narcissum, Felicem trium reginarum maritum, Posiden spadonem triumphi Britannici socium, Harpocran spectacula publice edentem, atque Phaedri aemulum in componendis Aesopeis fabulis Polybium, ad quem, cum histrio hunc uersum pronuntiasset,

Ἀφόρητός ἐστιν εὐτυχῶν μαστιγίας,

omnes oculos conuerterunt (Dio Cassius LX 29,3)? Aliquem certo habuit in animo Phaeder, quem quis sit nescire cogimur, tanta fuit turba μαστιγιῶν. Monuimus in editione *dici locupletes* intellegi posse de cognomine; sic ex Claudianis libertis habuit Felix cognomen Latinum. — Sed de persona uix umquam constare poterit; hoc tantummodo certum uidetur (tam acre totam fabulam implet odium et in iis etiam agnoscitur quae minus bene excogitata sunt), ex toto genere hominum unum fuisse qui praeter omnes mouerit poetae bilem. Eius hominis quia nomen dicere nequimus, ideo non necesse est omnem spem abiciamus sentiendi quid sibi Phaeder uoluerit. Itaque contendo remanere fabulam obscuram, si ad Seiani tempora referatur, contra fieri noua luce illustrem, si ad tempora Claudii et Pallantis.

§ **145**. — In fabula de sene et asello (I xv = 16) siue *ciuium* siue *saepius* ac postea siue *domini mores* siue *domini nomen* legitur, dubiae non sunt uoces primae *In principatu commutando*, nec magis dubium est quin id negetur, pauperum interesse quis imperitet. Negatne igitur Phaeder, pauperum interfuisse utrum Augusto parendum esset an Tiberio? spesne significat, Augusti excitatas morte, a Tiberio esse deceptas? uix credas; potius teste Tacito (Ann. I 10) dicebant nonnulli, quoniam Augustus arrogantiam saeuitiamque Tiberii introspexisset, *comparatione deterrima sibi gloriam quaesiuisse*. Plebs Romana quid tunc commune habuit cum Phaedri asello, cui eligere licuit utrum dominum sequeretur an hostem maneret? non alio fugiebat *dominus*, sed uita decesserat; *hostis* autem iam aderat, nam « simul excessisse Augustum et rerum potiri Neronem fama eadem tulit » (Tac. Ann. I 5). Talem fabulam nec scribere poterat poeta, quo tempore nondum Tiberio Gaius, ne Seiano quidem Macro successerat; nec, si tamen poeta scripsisset, intellecturi erant lectores.

Tum demum aliquid ea boni sensus continere coepisset, ubi *Tiberium in Tiberim* clamitatum est (Suet. Tib. 75), imperiumque adeptus est Gaius, « *exoptatissimus* princeps *maximae parti prouincialium ac militum*, quod infantem plerique cognouerant, *sed et uniuersi plebi urbanae* ob memoriam Germanici patris... » (Suet. Gai. 13). Huic soli, contra Tiberii testamentum, ius arbitriumque omnium rerum permissum est « consensu senatus *et irrumpentis in curiam turbae* » (Suet. Gai. 14); pronus igitur fuit in amorem noui domini populus; *lenti* fortasse sapientiores, ut ille in fabula asellus.

Sed multo melior factus est tali fabulae sensus, postquam bis intra quattuor annos commutatus erat princeps, bis uanae spes fuerant. Vt enim Tiberio succedere bonum principem turba putauerat, ita occiso Gaio uisa erat quibusdam ipsa instauratum iri libertas, τοῖς μὲν γὰρ (ex senatoribus) δημοκρατεῖσθαι τοῖς δὲ μοναρχεῖσθαι ἐδόκει (Dio Cass. LX 1), neque coniurati cuiquam imperium destinauerant (Suet. Gai. 60). Ita potuerunt

et multi et Phaeder de « principatu commutato » cogitare et quaerere num rei publicae, num omnium ciuium, num pauperum commutatio interesset. Inter quos pauperes se ipse, ut crediderim, potissimum poeta respexit, quem a *calamitate* non exemerat Tiberius perdito Seiano, non Gaius, non primis saltem annis Claudius; nam quamquam incerto post annum 43 tempore tandem permissum est ut fabulas ederet, *calamitati* tamen finem impositum nondum esse (§ 159) perspicitur ex II EPIL. (43) u. 7; quin etiam in libro III (76,20-27) innocentem se esse affirmans ab Eutychi bonitate postulat *ueniam*.

Sed siue de se fabulam 16 narrauit, siue in uniuersum de « pauperibus » uel « humilibus », in libro II post annum 43 narrare debuit potius quam in libro I ante annum 31. Ea fabula inter Graecas hodie superstites deest, ut suspiceris, uelut I XXVII (28), esse a Phaedro excogitatam. Quo magis necesse erit ut argumentum conueniat cum historia temporum. Nam in I II (3) potuit *hydrus* referre ex poetae mente Seianum uel Tiberium, cum *tigillo* dandum nomen non esset; ex Graeca enim tigillum desumptum erat; at fab. 16 si primus Phaeder repperit, omnia conicias accommodasse ad animum suum.

§ **146**. — Etiam libro II tribuo fabulam I XXX (31), cuius est promythium

Humiles laborant ubi potentes dissident.

Contraria sane sententia haec est illi quam in I XV (16) exprimi poeta uoluit, sed pariter utraque uera est, et eadem ad utramque experientia cogitationes hominum ducit; utramque omisit paraphrastes. Atque uix inuenias quo tempore *potentes dissederint* saluo Seiano; contra saepe dissederunt qui Claudii consilia regebant; etiam exstitit a. 42, quocum *de principatu gregis* certaturus ipse Claudius uideretur, Camillus Delmatiae legatus. — Haec quoque fabula inter Graecas superstites non legitur.

§ **147**. — Plura eiusdem generis indicia fortasse inueniet, qui fabulas 14ª — 32 cum historicorum testimoniis sedulo

contulerit. Nobis nunc de alio indiciorum genere disserendum est. In opere Phaedri distinguendi sunt apologi, uelut 117 de asino et lyra, ab narratiunculis, uelut 113 de Pompeio Magno et milite. Apologos dico in quibus pro hominibus introducuntur pecudes, ferae, aues, serpentes, uespae, arbores, mons quoque aut lima; narratiunculas, in quibus ipsae personae agunt, uelut Tiberius, Aesopus, Prometheus, Hercules, Minerua, Religio, medicus, anus, lanius, eunuchus... — Vtrumque genus adhibetur in libro III (apologi sunt 46, 50, 51..., 66, 69, 70...; narratiunculae 45, 47, 48..., 65, 67, 72...); — in libro IV (apologi 79, 80, 81..., 94; narratiunculae 78, 82, 88..., 92, 95); — in libro V (apologi 102, 103; narratiunculae 98, 100...).

Itidem in libro II apologi (34, 36, 37, 39, 40, 41) intermixti sunt narratiunculis (35, 38, 42).

In libri I parte priore, id est ante lacunam de qua supra dictum est, nulla est narratiuncula; apologi continui leguntur tredecim (lupus et agnus, ranae et hydrus, gragulus et pauo, canis carnem ferens, leo cum tribus pecudibus, ranae et sol, uulpes et persona, lupus et gruis, passer et lepus, simius iudex, asinus et leo uenantes, ceruus ad fontem, uulpes et coruus); in posteriore parte rursus reperiuntur interpositis apologis tribus narratiunculae duae (15 sutor medicus, 19 mulier parturiens), quas subsequitur altera series continua apologorum tredecim (20-32). Casu autem factum uidetur, quod hanc nouam seriem nulla narratiuncula rumpit; sed de priore serie idem dici nequit.

§ **148**. — In libri I prologo nihil se admisisse profitetur Phaeder praeter *Aesopus auctor quam materiam repperit*. Eam materiam quin ex apologis constare putauerit dubium non est; quid enim *risum mouere* dicit, nisi ranas pro Atheniensibus positas, pro rege tigillum? Etiam apologi erant illae deperditae fabulae, in quibus arbores loquebantur, uelut sunt in Graecis nostris δρύες καὶ Ζεύς (Halm 122), πεύκη (123[b]), ἐλαία

καὶ συκῆ (124), ἐλάτη καὶ βάτος (125), κάλαμοι καὶ δρῦς (179). Huius quoque argumenti fabulas ex Aesopea sylloge esse decerptas ueri est simillimum, neque ab sese tantummodo sed etiam ab Aesopo defendere Phaedrum calumniam, si solis feris concedat opinio uulgi loquelam, uelut solis concessit natura ipsam uocem. Quod autem in libri II epilogo (non libri III prologo) se Aesopeis olim aliquid addidisse confitetur,

43,14 Illius porro semita[m ego] feci uiam;
E[x]cogitaui *plura quam reliquerat*,
In calamitatem deligens quaedam meam,

inde nullo pacto sequitur recessisse eum in libro I umquam ab Aesopi exemplo et ab apologi forma, nouumque genus ueteri illi intermiscuisse; id modo sibi uult, Aesopeis apologis nonnullos esse additos ab se repertos apologos. Ceterum in libro adulescentis, qui primus omnium Romanorum (§ 136) syllogen fabularum edere conatus est, uarias inter se commixtas esse materias uix exspectes. Itaque fabulae tredecim 2-14, quae cum prologo libri I cohaerent uidenturque esse certissimae eius libri particulae, ideo sunt omnes apologi meri, quod ex apologis meris totus liber constabat; neque credendum est, siquando ex nouo codice proferatur exitus libri I nunc deperditus, fore ut ulla in lucem ueniat narratiuncula.

§ **149**. — Contra in libro II, ut supra dictum est, admissum est id alterum fabularum genus. Neque tantummodo ea argumenta accepit aut inuenit Phaeder, quae ab apologo parum discrepent, ut in fab. 35 de « aetatis mediae *quodam* », sed etiam quae longius ab apologo quam ab historia absint, ut in fab. 38 de Tiberio, in qua ad emendandos Ardaliones « uera fabella » utitur. Mirum esse non uidetur poetam post annos duodecim uel plures ab instituto priore discessisse, neque iam ut tironem eo fuisse contentum, ut auctorem suum ab omni parte imitaretur.

Immo par erat Romanum scriptorem etiam ab Romano litterarum genere petere exempla, idque Graecis fabulis addere quod etiam uernacularum satirarum effigiem referret. Neque reuera aliud est unusquisque fabularum liber apud Phaedrum, quam apud Horatium sunt satirarum libri, nisi quod alter poeta forma sermonis utitur libera, alter materiam aequaliter distribuit singulasque sententias breuibus narrationibus concludit. Eundem utrumque genus finem petit, *ridentem dicere uerum*; in utroque carpuntur modo auari, modo fautores ueterum (u. 97,8-9); in utroque introducitur *Paruola, nam exemplo est, magni formica laboris*; in utroque potest locum inuenire persona siue Tigellii cantoris siue Principis tibicinis, responsa siue Tiresiae siue Pythiae... Atque in hoc complures docti peccauerunt, quod non intellexerunt Phaedrum esse Lucilio quam nostro Fontanio propiorem; modo enim eos fugit *quod interiore condidit cura angulo*, modo parum animaduerterunt quot intersererentur apologis narratiunculae.

Ad quas ut reuertar, additis narratiunculis distinguuntur libri II, III, IV, V ab illo uetere libro I, quem ira Seiani tantum non aboleuerat. Additumque narratiuncularum genus, nisi fallor, significatur in prologo libri II, in quo id cordi est poetae, ut nouitatem coepti excuset auctoritatemque Aesopi reiciat. Nam ne forte putes excogitatum esse in secundo demum libro unum et alterum argumentum de asino aut boue aut uulpe, id iam esse in libro I factum docent uersus supra laudati 43,14-16. Diuersum aliquid Phaeder *interposuit* argumentis Aesopeis, quod frustra quaeras extra quas proprie dicimus hic narratiunculas. Ita illata est in librum II illa quae sensus delectaret *dictorum uarietas*; ei nouitati uenia lectoris petitur, *Dum capiat aurem et seruet propositum suum*. Vtque ex praecedentibus apparet libri I non esse quae uulgo eo referuntur narratiunculae I xiv (15) et I xviii (19), sic ex modo dictis perspicuum fit reddi eas posse libro II cum omnibus cohaerentibus fabulis. Vtramque hausit Phaeder ex fonte ali-

quo Graeco[1], prorsus ab Aesopea sylloge diuerso, ex quo etiam Plutarchus sumpsit quae de muliere parturiente refert. Ex simili fonte petitum crediderim fabulae 26 de corcodillo argumentum; hoc quoque fuit Aesopeis apologis additamentum.

§ **150**. — Praeter narratiunculas addidit Phaeder apologis quos dixerim pseudapologos, in quibus ferae nomine tantum ferae sunt. Apologus est ubi lupus os festinantius deuorat (I VIII = 9); pseudapologus, ubi *sponsor* (I XVI = 17) aut de re commendata *testis* (I XVII = 18) fit lupus. Apologus est ubi canis fert carnem (I IV = 5); pseudapologus, ubi *diuitiarum* cupidus fit canis et suum custodit *aurum* (I XXVII = 28; cf. 70,7). Iam in libro I inest pseudapologus unus, sed ex Graeco desumptus (I V = 6); nam quod pro onagro carniuoro (Halm 258) carniuoras posuit Phaeder uaccam, capellam et ouem, paulo insulsiorem fecit fabulam satis insulsam. Sed libro II reddendae sunt illae miri argumenti fabulae I XVI, I XVII, I XXVII, omnes (ut de I XXVII dictum est § 30) ab ipso Phaedro excogitatae. Quem anni et ingenii fiducia ad audendum promptiorem, acerbitas odii elegantiae immemorem fecerat.

Pro pseudapologo habenda est fabula I XXIX (30), de asino inridente aprum, sale minime Attico insignis. Cuius argumentum uereor ne Phaeder ipse « reppererit ».

§ **151**. — Ergo multis de causis (etiam u. ad 71,6) statuimus quidquid inter lacunas legitur, inde a uersu 14,13 ad 32,13, debere inseri in medium librum II. Locus autem reponendis illis fabulis idoneus uidetur agnosci posse inter poematia 42 et 43 (§ 142). Transpositis foliis codicis alicuius, quem littera *Z* insigniuimus, diximus turbas esse factas (§ 132); gratum autem esset, si codicis *Z*, computationibus linearum factis, liceret formam aliquatenus definire. Sed in codice *Z* deserit nos illa felix fortuna, quae in describendis codicibus

1. In fabula 15 plures sunt Graecismi, ut uidetur, quam in ulla alia : *rex urbis* = πόλεως, *antidotum*, *strophis*, *scyphum*, *toxicum*.

deperditis *X* et *Y* praesto fuit. Non modo certae de codice *Z* computationes institui nequeunt, sed etiam fuit cum prope desperarem ad ueri similitudinem aliquam perueniri posse.

Breuiter igitur indicabo quod fortasse factum est, — fortasse inquam, qui propter fiduciam, siquando meliora reperta erunt, reprehendi nolim. Fac codicem *Z* (sicut Plauti palimpsestum) constitisse ex foliis continentibus lineas tricenas octonas; in foliis primis quinque stare potuerunt fabulae libri primi genuinae 1-14 (quae lineas efficiunt 188), dummodo statuas esse datas titulo totius operis lineas tres; etiam possis ei titulo duas tantummodo relinquere lineas, ut in ultima quinti folii linea scriptus fuerit fabulae deperditae titulus, quem posteriores rubricatores non exceperint. Deperdito autem codicis *Z* folio sexto cum iis quae insequebantur intercidit magna pars libri I. Ideo foliis codicis *Z* tribui lineas tricenas octonas, quod aliter (nisi forte textui Phaedri praeibat alius textus) explicari nequit numerus linearum 188 ante primam lacunam. Nam si continuerunt folia lineas quadragenas, numerus exspectatur 160 aut 200; si tricenas senas, 180 aut 216; si tricenas quaternas, 170 aut 204; si tricenas binas, 160 aut 192; si tricenas, 180 aut 210; si uicenas octonas, 168 aut 196....

§ **152**. — Prologus autem libri II (33) cum uideatur incepisse una cum aliquo codicis *Y* folio, fac ante eum prologum periisse folia codicis *Y* quinque, id est lineas 150 : additis lineis 207 quae sunt a 14,13 ad 32,13, item 175 lineis quae sunt a tit. 33 ad 42,11, fiet summa linearum a 14,13 ad 42,11 haec : $207 + 150 + 175 = 532 = 38 \times 14$. Quattuordecim igitur codicis *Z* folia in manibus habebat qui codicem *Y* exarauit, ex quibus sex prima continebant fabulas 14ª-32 et praeterea 21 lineas, quinque ultima lineas libri primi 15 ultimas cum fabulis 33-42, media tria partes deperditas aut libri I aut libri II aut utriusque. Sed commutata inter se erant ea quattuordecim folia eo modo, ut quae librario codicis *Y* priora uiderentur reuera fuissent olim posteriora; itaque ante

fabulas 33-42 legebantur fabulae 14^a-32, quae olim positae fuerant inter 42 et 43. — Eae, ut dixi, incertissimae sunt computationes neque hic nisi exempli gratia afferuntur. Fac enim exstitisse in codice *Z* loco aliquo lacunoso (15,5 aut 15,13 aut 35,2 aut 39,14)[1] duos uersus quos *Y* demum omiserit, iam non deerunt ex codice *Y* quinque folia, uerum decem; neque fabulae 14^a-42 reputandae erunt effecisse in *Z* lineas $532 = 38 \times 14$, uerum $684 = 38 \times 18$.

De Phaedri uita.

§ **153**. — In quattuor titulis (p. 1, 32, 71, 121) dicitur poeta *Augusti libertus*, quod de diuo Augusto intellegi et potest et in libro quidem debet. *Memoria sua* (54,8) id factum refert quod* curare debuerit *diuus Augustus* (54,39), qui anno p. Chr. n. 14 mortuus est. De ludis anni p. Chr. n. 9 (u. ad 100,16) ita loquitur ut nesciamus utrum ipse interfuerit necne; cf. § 158. Eum crediderim, ut Senecam, perpaucis ante Christum natum annis diem uidisse.

§ **154**. — Cognomen Φαῖδρος legitur apud ipsum 44,1 et apud Martialem (u. pag. xvi) genetiuo casu. Nominatiuus *Phaedrus* legitur saeculo IV uel V apud Auianum (u. p. xvi), qui nulla puto auctoritate nitebatur, atque praeterea in titulis trium fabularum (44, 71, 84), quorum titulorum auctor Auianum fortasse secutus est. At Φαῖδρος grammatici numquam numerant inter nomina Graeca quae terminationem *-rus* accipiant, uelut *Codrus*, *Petrus*. Ex inscriptionibus quas ad tit. 44 laudaui apparet usitatum fuisse in uita communi *Phaeder*; itaque, ut ipse poeta alicubi scripserit *nominor Phaedrus*, quod minime credo, uix dubium est quin ei persaepe *salue Phaeder* dictum sit; quare ego quoque hanc formam praetuli alteri.

Diui Augusti libertum facile conicias uocitatum esse *C.*

1. Non adnumero locum 20,3, item lacunosum; uetustissimum enim inesse puto uitium, quod et in *D* recurrat et ut uidetur in paraphraseos fonte (§ 131).

Iulium; poetae filius aut nepos fuit fortasse *C. Iulius C.f. Phaeder* (non *Phaedrus*), C.I.L. vi 20181; u. ad fab. 52[1].

§ **155**. — Phaedrum mater enixa est *Pierio iugo* (44,17) in Thracia (43,32-35), id est non in Pieria citra Haliacmonem, uerum ultra Strymonem, intra fines tamen prouinciae Macedoniae, quo in tractu condita erat a. ante Chr. n. 42 colonia Philippi; *Pierium iugum* uidetur esse idem atque mons Pangaeus. Thraciam non modo nascendi locum agnoscit sed proprie *patriam*, cuius *decus* deserere non debeat (43,31). — Thraciae partem liberam parum nouerat, nam cum Vergilius scripsisset *uolucremque fuga praeuertitur Hebrum* (Aen. i 317), quem de Hebro errorem castigat pseudo-Seruius (« falsum est, nam est quietissimus etiam cum per hiemem crescit »), imprudens Vergiliano testimonio credidit posuitque et ipse (si recte Pithou restituit *Hebri* pro *hereb*)

43,35 *Hebri*que tenuit *impetus* dulci mora.

Similiter aequalis Seneca HO. 1036 de Orpheo : « Illius stetit ad modos *Torrentis rapidi* fragor, Oblitusque sequi fugam Amisit liquor *impetum* ; Et dum fluminibus mora est, Defecisse putant Getae *Hebrum* Bistones ultimi. »

Phaeder in Thracia non degebat, quo tempore conscripsit libri III prologum. Nam non dixisset tantummodo *mater enixa est*, uerum aliquo pacto significasset se adhuc in patria morari ; atque, ut exponetur § 158, Romae librum III uidetur composuisse, ab exsilio quodam reuersus. Ceterum iam Romae nisi fallor uiuebat, cum libri I fabulae iram Seiani mouerunt.

§ **156**. — Graeco nomine uocitatus est, ut serui permulti, et sine dubio in prouincia Macedonia saepissime Graeculis occucurrit; longe tamen abest ut se Graeculum esse profiteatur. *Litteratae Graeciae* se propiorem dicit, quoniam Thrax sit, quam

1. *Iulium Phaedrum* praeterea non noui; (at in triginta fere titulis nominatur aliquis *Iulius Hermes*.) Praeter locos nominatiui *Phaeder* causa ad titulum 44 laudatos recurrit cognomen C.I.L. vi 10500; 19474; 24058; viii 8377; ix 5227; xiv 124; 3956; C.I.G. 194; 765; 1553; 6829; 9602.

Phrygem Aesopum aut Anacharsin Scythen (43,30), sed libens deridet *Graecos loquaces* eamque qua se iactent uerborum copiam (133,2-4). Quin se, utpote Latina lingua utentem, *Latii* aduersus *Graeciam* propugnatorem facit (42,8-9).

Latinis litteris iam puer imbutus est siue Romae, siue fortasse Philippis apud Orbilium aliquem colonorum Romanorum filios edocentem, lectique Ennii meminit (76,33-34; § 107). Atque in eligendo uersuum genere omnia Graeca metra respuit; senarium sibi sumpsit, apud Latinos ueteres excultum et ab exemplis Graecis docte detortum. Publilium Syrum maxime uidetur esse imitatus; nam cum ipsis fabulis exemplar metricum et Graece et Latine deesset, promythia et epimythia pronum erat accommodare ad Publilianas sententias; cf. 20,1; 25,1, etc.

Scriptorum ueterum amor indicio esse potest, iam uirum aut certe ephebum fuisse Phaedrum cum patriam reliquerit, informatumque in prouincialibus scholis esse iudicium. Nimis simplex et prope inscita eius est nonnumquam in promythiis et epimythiis elocutio (*Haec propter illos scripta est homines fabula*..., *Id esse uerum parua haec fabella indicat*..., *Quas ut uitemus* uersus subiecti *monent*..., Hac re *probatur*..., Haec res *auaris esse conueniens potest*..., Hac re... *non possumus*..., Hoc argumento *tuta est*..., *Quot* res *contineat hoc argumentum* utiles *Non explicabit*...); oppidanum scribendi genus fortasse etiam in narrationibus ipsis inueniebant Romae illi fastidiosi de quibus conqueritur (44,23). Vulgaris sermonis sunt, opinor, *tricare* 50,9 et 120,2, *stigmare* 111,13, *strophae* 15,4, *uiduuium* 118,5.

Quod *memoria sua* euenisse ait imperitante Augusto, ut pro moecho ciuis Romanus proprium filium occideret, id factum est in *oppido* (54,19); in Thracia puto, in qua Phaeder uixerit cum iam non esset infans aut paruulus puer; fortasse Philippis in colonia Romana.

§ **157**. — Pater sibi quis esset nouisse debuit, qui deriserit sub canum nomine *triuio conceptos* (28,11). Et patrem et ipsum, siquidem iam anni sinebant, Phaedrum crediderim

fuisse occupatos in administranda re principis et potestati procuratoris prouinciae Macedoniae subiectos. Vna simul esse manu missos ueri simile est, nam ea aetate Phaeder fuit ut per se uix ab Augusto libertatem merere posset. Veram in domo erili seruitutem, quae homini eripiat ἥμισυ ἀρετῆς, ille numquam passus est; itaque non erubuit se libertum fateri. Ipsi enim tribuendum est, quod in fabularum titulo dicitur *Augusti libertus*; neque dubitandum est quin sese respexerit cum scriberet de Aesopo

42,2 *Seruom*que collocarunt aeterna in basi.

Qua de causa etiam *plebeium* se memorat 76,34 causamque *humilium* amplectitur 29,1. Fortasse in fab. de eunucho seruitutem exprobrantibus respondet (55,6-7).

Anno p. Chr. n. 15 cum prouincia Macedonia a proconsulari imperio ad Caesarem traducta sit (Tac. Ann. I 76 et 80), fortasse ibi tota fisci ratio mutata est dataque Phaedro occasio Romam migrandi. Iam tamen fuisse Romae anno 9 crediderim, cum derisus est in theatro Princeps tibicen (fab. 100).

§ **158**. — Propter librum fabularum primum nondum editum damnatus est Seiano et *accusatore* et *teste* et *iudice* (43,17-18), igitur ante Seianum anno 31 oppressum. Neque ullam fabulam publicare ei licuit ante annum 43 uel 44 (§ 135). Librum II cum tandem emisit, *calamitati* (43,16) et *dolori* (43,20) finis nondum impositus erat, ita ut durato corde ferre conaretur *fatale exitium*, ut in *P* traditur, uel ut corrigendum esse uidetur *fatale exilium* (43,7). De uoce *exilium* quamquam parum constat, Romae Phaeder uidetur non uixisse tunc temporis; uix enim ea uerba delegisset quibus in epilogo utitur,

43,1 Si nostrum studium ad aures peruenit tuas...
43,4 Sin autem [rauulis] doctus *occurrit* labor.

Postea permissum est ut in Vrbem rediret, nam reducis sunt quae de ceterorum poetarum fastidio narrat in libro III :

44,23 Fastidiose tamen *in coetum recipior.*

Redibat autem nonnullis infensus. Nam siquis dubitat de sensu fabulae 46 neque libenter credit *pantheram* ipsum esse poetam, uideat ille qua acerbitate, dum sibi benignos fera bono animo esse iubet, inuita in odium et minas feratur :

46,15 Tum sibi timentes, qui ferae pepercerant
Damnum haut recusant, tantum pro uita rogant.
At illa : « Memini quis me saxo petierit,
Quis panem dederit : uos timere absistite ;
Illis *reuertor hostis* qui me laeserunt. »

Hic equidem proprii doloris agnosco ueritatem. Neque alius melius locus ipsum Phaedrum posteris depingit iustamque ut uidetur iracundiam aperit, nisi tamen hos eiusdem libri uersus excipias, in quibus pariter dolor erumpit, pariter tanguntur iidem inimici :

76,28 Excedit animus quem proposuit terminum ;
Sed difficulter continetur spiritus,
Integritatis qui sincerae conscius
A noxiorum premitur insolentiis.

Certum igitur uidetur de sese loqui poetam, quem *despectum* fuisse uersu primo significat, uelut 29,1 *humilibus* gratulatur uindictam. Sese, non pantheram, [illegible] *liberatum* praedicat, et simul salute, simul spe ulciscendi prope nescius effertur.

§ 159. — Duas res igitur iam adeptus erat, ut uersus impune publicaret et ut ab exsilio nescioquo reuerteretur. Sed tamen damnatus fuerat temporibus Seiani, et damnatus manebat, ut ipse in epilogo libri III declarat :

76,22 Saepe impetrauit *ueniam* confessus *reus*.
Quanto *innocenti* iustius debet dari !

Damnatus igitur prouocat ad Eutychum :

76,24 *Tuae sunt partes* ; fuerant aliorum [prius] ;
Dein simili gyro uenient aliorum uices.
Decerne quod religio, quod patitur fides,
Et. . . . . *iudicio tuo*.

Obtinebat enim Eutychus partem aliquam potestatis publicae, qui non modo *negotiis* (44,2) ut mercator aut faenerator, uerum etiam *officiis* (44,5) occupatus erat; quin rei domesticae curam impendere uix poterat, nisi per *ferias* (44,8-11). Homo tamen nobis prorsus incognitus, Graeco cognomine, *lucro* attentus (44,26), minime doctus (supra § 105), non fuit ex primoribus ciuitatis; fere tuto contendas fuisse principis (ut ipsum Phaedrum) libertum, imperitantis tunc Claudii procuratorem, nuper praepositum nesciocui in Vrbe fiscali administrationi, in cuius officiales iurisdictionem habuerit[1]. Nempe ab eo id rogabatur, ut et *bonitatis* (76,17) et aequitatis causa priorum procuratorum facta dirimeret poetamque restitueret in officium aliquod humilius, unde per calumniam fuisset olim deiectus.

§ **160**. — Haec si uera sunt aut ueritati proxima, quo pacto Phaedrum Seianus perdiderit prope diuinare licet. Non modo de uera iracundiae causa tacuit, sed nihil ei imputauit quod ad principem aut ad res publicas pertineret; nam si ita Seianus egisset, aut a Macrone aut a Gaio aut a Messalina ueniam impetrare perdifficile non fuisset. Id ut uidetur Phaedro obiectum est, quod hominem et in praesens deiceret et etiam in futurum dedecoraret, res in officio male gesta, fortasse furtum.

Falsus igitur testis de Caesaris pecunia fuit Seianus, sicut in fab. 18 (ergo in libro II) de pane commendato ille lupus. Quae fera quin ipse in Phaedri mente Seianus sit nullus dubito; eoque minus offendit fabulae argumentum. Id primo aspectu ridiculum est : nulla causa affertur cur calumniatori lupo male eueniat potius quam innocenti oui, nec per se intellegunt legentes utrum fortuitus casus an diuinum consilium ulciscendo sceleri prouiderit. At Phaedro res non ambigua erat cum librum II scriberet :

18,9 Haec, inquit, merces fraudis *a superis* datur.

1. Propter u. 76,24 uidetur non esse cogitandum de noua procuratorum potestate iudiciaria, quae instituta est senatusconsulto a. 53 (Tac. A. XII 60). Aliter de Eutycho Buecheler, Rh. Mus. XXXVII (1882) p. 334. — Fortuito euenit ut in uno titulo Atheniensi (C.I.L. III 555) coniungantur nomina *Phileti* et Q. Calpurnii *Eutychi*; neuter homo ut mihi persuasum est Phaedrum nouit.

Insulse, si animo remisso excogitatum erat; non sine quadam ui eloquentiae, si tacitum dolorem solatus erat repentinus nuntius ultionis uel alienae.

De Phaedro et Seiano intellegenda est fabula in qua fur (non sicut in Graeca fabula dominus) uendit equum ex quadriga, *multis palmis nobilem*. Maerens equus

124,4 In circum aequales ire conspexit suos
Vt grata ludis redderent certamina.

Inde conicias Phaedro suas fuisse palmas olim in agone Neapolitano quinquennali, qui fuerat a. p. Chr. n. 2 institutus; fabulam autem scriptam esse post Seianum oppressum (saluum enim quis ausus esset etiam in uersibus domi asseruatis *furem* dicere?) eo anno quo Neapoli fuerit agon, 34 igitur aut 38 aut 42. Quae libro II reddi debet fabula.

Fabulam 39 de *consiliatoribus maleficis*, in eodem libro positam, facili interpretatione explices de Seiani adiutoribus. Ipso enim iamdiu occiso inimicis non caruit poeta, quibus in libro III minatur (46,19) et ut *noxiis* (76,31) quasi accusationem praenuntiat et ostentat; u. supra § 158. Fortasse ex illis fuit qui propter officium fiscale aliquam in Phaedrum potestatem haberet : cui homini conueniant in libro III partes muscae mulam increpantis (50), aut ouis (59) cui iustis de causis denegatur pietas agni. Haec tamen incerta sunt.

§ **161**. — In uniuersum notandum est, in libro III maxime aperiri proprios poetae affectus. Praeter enim fabulas iam laudatas 46, 50, 55, 59, complures sunt in quibus semet respexisse uideatur. Ad Seiani calumniam et Phaedri calamitatem in fab. 54 de credendo et non credendo alluditur; immo ideo illam fabulam conscripsit poeta, ut apud Eutychum (quem u. 8 alloquitur) causam suam oraret. Ipse est Phaeder ille in fab. 67 factus periculis σοφός. Sese ab liuore defendit in fab. 71, deridet 54,60 qui *breuitatem* suam carpserant, mutuatusque in fabb. 72 et 75 Simonidis personam poetas contra

indoctorum fastidium tutatur. In fab. 57 plagiarium insectatur suum, credo (ut Martialis I 52 et alibi), qui tertii poetae arbitratum prius admiserit, postea damnatus repudiarit. In fabula 53 locuturus de Socrate, praeter exspectationem se ipse interponit, animusque suus qui sit profitetur :

53,2 Cum paruas aedes sibi fundasset Socrates,
Cuius non fugio mortem, si famam adsequar,
Et cedo inuidiae, dummodo absoluar cinis.

§ **162**. — Praeterea in libro III demum admonentur legentes, quod totius operis et singularum fabularum et nonnumquam uersuum uocauerim lumen, inesse et menti sagaci inuestigandum esse sensum reconditum, qui nimis simplices fugiat; hoc docet et ipsa fabula 56 de pullo et margarita et aculeatum eius epimythium :

56,8 Hoc illis narro *qui me non intellegunt.*

Nostro saeculo inter parum intellegentes fuit quem minime exspectes. Vir acutissimus cum pro explorato haberet destinatas esse pueris etiam Phaedri fabulas (exemplari puto uti solebat iuniorum gratia mutilato), scripsit de fabularum genere : « ... je n'y vois qu'une forme d'instruction véritablement à l'usage des enfants. Ésope, Babrius *ou Phèdre* ont pu y exceller; ce n'est pas moi qui, les ayant lus, irai les relire. *Ce Phèdre que d'habiles gens ne veulent nullement reconnaître pour être du siècle d'Auguste, mais qui est classique du moins par son exacte pratique du genre conçu dans toute sa simplicité et son élégance, est un auteur qu'il est permis de ne pas rouvrir quand on a une fois fini sa quatrième.* » (Sainte-Beuve, *Causeries du lundi*, VII, p. 525-526, *La Fontaine*.) Reuera Phaedrum more puerorum legit quicumque non aliud in eius fabulis dispicit quam pueri uident. — De sensu recondito iam significatum erat in libro II (43,10-13), sed propter solum Aesopum. Multo apertius illud libri III *qui me non intellegunt*; idem iterum, sed fusius, dicturus erat poeta in libro IV :

79,3 Sed diligenter intuere has nenias:
Quantam sub ti[tu]lis utilitatem reperies!
Non semper ea sunt quae uidentur dispici.
[. . . . . decipit]
Frons prima multos; *rara mens intellegit*
Quod in[t]eriore condidit cura angulo.

Ceterum in libro III non tantummodo cautum erat, breuiter quidem, at clare, ne nihil esse intellegendum putarent legentes, uerum etiam sic iubebantur uti diuinatione :

45,7 Hoc quo pertineat dicet qui me nouerit.

Quae mea uolo sit excusatio, sicubi forte plus sum diuinare conatus quam tuto licebat.

§ **163**. — Aliud quoque fuit quod librum III a praecedentibus distingueret. In eo enim (non ut uulgo fertur in libro IV) admissae sunt fabulae philosophicae partim obscaenae de origine quarumdam rerum, cur canes inter se culum olfaciant (68), cur sint tribades et molles mares (65). Quas respexit puto Martialis cum aliis nonnullis obscaenis (30, 17...) in hoc uersu (u. p. xvi) : *An aemulatur improbi iocos Phaedri*, « ce polisson de Phèdre ». Easdem fortasse excusaturus scripsit ipse Phaeder fabulam 58 de Aesopo nucibus ludente. Sed mutila ea est pars libri III philosophica; ei reddenda esse uidetur (quamquam obscaena non est) fabula 108 de origine mendacii, in qua sicut in 64-65 inducitur Prometheus. Pro Prometheo Iouem habet fab. Graeca obscaena illis ualde similis (Halm 148). — Aliud αἴτιον continetur in fabula 88 (u. uersus 12-13); ea autem utrum in libro IV relinquenda an in librum III transferenda sit incertum est (§ 128).

§ **164**. — Scriptus esse uidetur liber III imperitante adhuc Claudio. In cuius epilogo sic loquitur Phaeder de aetate sua :

76,15 *Languentis aeui dum sunt aliquae reliquiae,*
Auxilio locus est; *olim senio debilem*
Frustra adiuuare bonitas nitetur tua.

Senectae igitur propior erat, sed nondum senex; annos natum dixerim paulo plus quinquaginta. At Claudio successit Nero anno 54; uidetur autem Phaeder natus esse ante annum computationis Christianae primum (§ 153).

Fabula 66 de barba capellarum si forte referri debet ad Pallantis ornamenta praetoria, scripta est a. 52 (Tac. Ann. XII 53; cf. Sueton. Claud. 28). Sin de re agitur quam Tacitus in parte Annalium deperdita narrauerit, scripta est ante a. 48. Sueton. Claud. 24 : « ornamenta consularia etiam procuratoribus ducenariis indulsit »; Dio Cass. LX 23,2-3.

§ **165**. — Librum III cum edidit Phaeder, decreuerat sibi non esse addendum quartum librum (76,1-5; 77,1). Sed et pessimam desinendi causam habuerat et sese placuisse nouerat nonnullis, uelut homini litterato nobis aliunde ignoto Particuloni. Interpositis igitur ut uidetur aliquot annis, iam fortasse sub Nerone, nouum fabularum librum emisit et Particuloni dedicauit. — Nuper puto prodierat quartus ille liber, cum Medeam Seneca conscripsit, cui anno 62 adhuc obiciebatur quod *carmina crebrius factitaret postquam Neroni amor eorum uenisset* (Tac. Ann. XIV 52). Nam in fab. 84 Phaeder initium Medeae Euripideae et Ennianae imitatur; id autem initium Seneca, tamquam ab aequali occupatum, sibi non assumpsit, tragoediam modo prorsus diuerso incohauit.

§ **166**. — In libro IV nihil praeter fabulam 83 de murium ducibus et *magnitudine principum* admisisse Phaeder uidetur quod equidem ad res publicas trahere audeam, siue ipse cautior factus erat aut magis Nero quam Claudius timebatur, siue ego minus bene interpretor. Ex illis tamen uersibus quos § 162 laudaui apparet etiam hic quaerenda esse quae *rara mens intellegat*. In inuidos poetae infensos scriptae sunt fabulae 84 et 85. Qui cum iam in libro I timuerit calumniaturos (1,5), nihil saepius in omnibus libris insectatus est quam liuorem (42,10; 43,4-6; 43,36; 71,1; 77,15; 97,9; 105,3).

§ **167**. — Libro IV sua est facies peculiaris. Vt diximus, librum secundum a primo distinxerant intermixtae apologis narratiunculae; in libro III demum admissae erant fabulae περὶ αἰτίων philosophicae; ita sua libro IV fuit nouitas narrationum longiorum genus, ex nescioquo libro Graeco petitarum; quales sunt fab. 82 de Aesopo et testamento et fab. 95 de scurra et porcello, etiam a Plutarcho narrata. Paulo breuiores sunt in libro III narrationes de Simonide (72 et 75), in Appendice fabulae 118 de uidua et 119 de duobus procis. Perlonga est in libro III fabula 54 de ciui Romano filium occidente, sed non ex libro Graeco petita (54,8).

§ **168**. — Senex iam erat poeta uelut in fabula 103 canis, cum librum V ad Philetum, Claudii fortasse libertum, misit; cf. quae iam in epilogo libri III (supra § 164) de aetate sua dixerat. Ipse fortasse est in fabula 102 taurus, uitulus autem aemulus iunior. Prorsus ignorare me fateor utrum imperitante Nerone an Vespasiano liber V prodierit; anno p. Chr. n. 69 non dubito quin Phaeder iam septuagenarius fuerit (u. supra § 153). Ceterum ex omnibus libris difficillime quintus cognoscitur, ex quo tanta pars periit.

§ **169**. — Nullus umquam additus est liber VI. Quod diserte testatur Auianus : *Phaedrus etiam partem aliquam* quinque *in libellos resoluit.* Credas paucis post editum librum V annis Phaedrum esse aut morbo aut morte oppressum. Vita sine dubio cessit ante a. 87-88, quo scripsit Martialis (§ 163) *improbi iocos Phaedri.*

§ **170**. — Opus in uita satis longa composuerat unicum ut uidetur et breue, nam uersus superstites sunt minus 2000, cui numero si addantur promythia uel epimythia fere 30 fabularum Perottinarum et fabulae fere 40 ab solo paraphrasta seruatae, summa uniuersa possit aequare 2500 uel 2600 uersus, uel fortasse paulo plures; nullo autem pacto ad 3000 peruenias, nisi statuas exstitisse fabulas 20 aut 30 quarum omnis memoria perierit.

Illud opus commendabat ante omnia ipsa *breuitas*, quam sibi laudem Phaeder uindicare solet (33,12; 54,60; 76,8; 82,2; 96,7; cf. 115,5); praeterea ea uenustas quae per laborem quaeritur, posita in proprietate uerborum et perspicuitate nitida dictionis. Sermonem nimis simplicem esse interdum, praesertim in promythiis et epimythiis, dictum est (§ 156); nec nobis grata sunt abstracta persaepe pro concretis adhibita, uelut *corui stupor* pro *coruo stupido*, *aequalitas* pro *aequalibus* (119,29); cf. p. 277. Poetis Phaedrum illis adnumerem qui *fiunt*, non *nascuntur*; uersificatoribus quam optimis, nam inest eius senariis lepor qui aures uel nostras mulceat. In argumentis nouis reperiendis parum felix fuit; de epimythio multiplici u. § 30.

Philosophum non dicas, qui nonnulla candore puerili narrauerit (ut fab. 119); pharmacopolis tamen et hariolis non credidit (fabb. 15, 47); nullum uerbum reliquit de arte magica aut astrologica. Diuitias Christiano prope more damnauit (88,5; 89,7; cf. 28,10; 44,21; 70,16-26; 94,8; 119); de diis ueteribus non dubitauit, sed in Iouis templo induxit loquentem ipsius loco *sanctam Religionem* (88,4; cf. 28,6 et 111,4).

Risum mouere se professus est (1,3), plerumque ne μειδιῶν quidem. Vix homines inter se dissimiliores inuenias quam nostrum Fontanium atque illum Romanum siue mauis Thracem; conscripsit alter *une ample comédie*, alter satirarum libros (§ 149) uitata ubertate graues. Alterum delectabat uel cuniculus; alteri homines magis odio fuerunt mali quam placuerunt boni (u. ex. gr. 93,11-13). Non sine acerbitate singulos notat Phaeder (quippe qui id se facere neget, 43,25). Auaros, inuidos, iniquos praecipue, qui potestate tyrannica abutantur, oratorie carpit magis quam poetice. Raro iucundus est, saepe nescioqua grata morositate sanctus, tristitiae Taciti proximus, ut fuit captus liberti.

Plebeius ausus est muttire et, Senecae aequalis cum esset, nemini adulatus est.

FABVLARVM PROSAICARVM CONSPECTVS

Fabulae deperditae **Fabulae seruatae ab solo Perotto** ***Fabulae codd. PR quae apud Perottum desunt*** **Fabulae codd. *PR* Perottinae.**	Ordo apud Phaedrum.	Numeri in paraphraseos fontibus nostris		
14ᵃ-32 **: numeris inclinatis significantur fabulae libri I libro II restituendae**		Adem.	Wiss.	Rom.
Pullus et margarita (praeit prooem. Wiss. v 6).	56	1	v 7	I 1
Vulpes et persona	8		III 6	II 15
Canes et corium	*21*	2		
Lupus et agnus	2	3	I 1	I 2
Mus et rana **(Halm 298, pseudo-Dositheus p. 44, 97[1])**		4	I 3	I 3
Ouis, lupus et canis [et miluus et accipiter] . .	*18*	5	I 2	I 4

1. Exstant et Graece et Latine apud pseudo-Dositheum (*Corpus glossar. Latin. III*) secundum hermeneumata Leidensia (p. 40) et fragmentum Parisinum (p. 95) hae fabulae :	Ordo in herm. Leid.	Ordo in fragm. Paris.	Adem.	Rom.
Cervus ad fontem (Phaeder 13).	1	1	41	III 7
Leo et mus.	2	2	18	I 17
Vulpes et coruus (Phaeder 14	9	3	15	I 14
Puer et scorpius.	10	4		IV 14
Canis carnem ferens (Phaeder 5)	11	5	7	I 5
Mus et rana.	12	6	4	I 3
Pugna murium et mustelarum (Phaeder 8[illegible] . . .	3	7		
Lapides [illegible] minitans.	4	8		
Cattus et g[illegible]	5	9		
Leonis spelunca	6	11	59	IV 12
Medicus et aegrotus, cf. Halm 168	7	12		
Cornix et urna (Phaeder 14[illegible] Auianus 27)	8	10		IV 13
Asinus aeger et lepus.	13	13		IV 15
Taurus [illegible] Auianus 15	14	14		IV 16
Homo leonem subuehens (Auianus 24)	15	15	52	IV 17
Culex et taurus.	16	om.	36	
Formica et cicada (Auianus 34	17	17	56	IV 19
Mus urbanus et rusticus.	18	18	13	I 12

Fabulae deperditae Fabulae seruatae ab solo Perotto *Fabulae codd. PR quae apud Perottum desunt* Fabulae codd. *PR* Perottinae.	Ordo apud Phaedrum.	Numeri in paraphraseos fontibus nostris		
		Adem.	Wiss.	Rom.
Galli et accipiter		6		
Canis carnem ferens (pseudo-Dositheus p. 44, 97).	5	7	I 6	I 5
Cochlea et simia.		8		
Vacca, ouis, capella et leo.	6	9	I 7	I 6
Ranae et solis nuptiae.	7	10	I 8	I 7
Lupus et gruis.	9	64	I 9	I 8
Ciconia, anser et accipiter		53		
Canis parturiens	*20*	54	I 10	I 9
Serpens misericordi nociua.	69	11	IV 2	I 10
Asinus inridens aprum.	*30*	12	I 11	I 11
Mus urbanus et rusticus (Halm 297, pseudo-Dositheus p. 47, 101); u. ad 37,17		13	II 1	I 12
Vulpes et aquila.	*29*	14	II 2	II 8 (in Romulis Oxoniensi et Florentino post I 12 : Hervieux II² p. 463, 703)
Aquila, cornix et testudo.	39		II 5	I 13
Vulpes et coruus (pseudo-Dositheus p. 43, 96). .	14	15	II 7	I 14
Leo senex, aper, taurus et asinus.	*22*	16	II 8	I 15
Asinus domino blandiens (Halm 331); u. ad 115,11.		17	II 10	I 16
Leo et mus (Halm 256, pseudo-Dositheus p. 40, 96); u. ad 18,7-8; 125,5; 131,1		18	II 11	I 17
Miluus aegrotans.				I 18
Grus et cornix (Halm 99).		19		
Hirundo et aues (Halm 105, cf. 417).		20		I 19
Ranae regem petentes	3	21	III 7	II 1
Miluus et columbae.	*32*	22	III 8	II 2
Canis et fur.	*24*	23	III 9	II 3
Caluus et hortulanus		24		
Cauannus, cattus et mus.		25		
Agni mater.	50			II 6
Gragulus et pauones.	4	26	II 4	II 16
Musca et mula.	50		II 6	II 17
Formica et musca.	74	27		II 18
Lupus, uulpes et simius	11	28		II 19
Mustela et homo.	*23*	29	II 9	II 20

Fabulae deperditae Fabulae seruatae ab solo Perotto *Fabulae codd. PR quae apud Perottum desunt* Fabulae codd. *PR* Perottinae.	Ordo apud Phaedrum.	Numeri in paraphraseos fontibus nostris		
		Adem.	Wis.	Rom.
Perdix et uulpes		30		
Canis et corcodillus	26	31		
Canis et thesaurus	28	32		
Rana et bos	25	33		II 21
Asinus et bos (textum uide p. 275)		34		
Leo et pastor (*Androclus*)		35	III 1	III 1
Culex et taurus (pseudo-Dosith. p. 46, cf. Halm 234)		36		
Leo medicus et equus (cf. Halm 334); u. ad 22,8			III 2	III 2
Equus phaleratus et asinus (textum uide p. 276)		37	III 3	III 3
Vespertilio (cf. Halm 307; etiam 391; Varro Agathone apud Nonium 47)		38		III 4
Luscinia et accipiter		39	III 4	III 5
Lupus, uulpes et pastor		40	III 5	III 6
Ceruus ad fontem (pseudo-Dositheus p. 40, 95)	13	41	III 10	III 7
Iuno et Venus			III 11	III 8
Vidua et miles (comparandus est Petronius 111)				III 9
Meretrix et iuuenis			IV 1	III 10
Scrofa parturiens			IV 4	II 4
Mons parturiens	73		IV 14	II 5
Adulescens et iuuencus			IV 15	III 11
Vipera et lima	85	42	IV 8	III 12
Oues et lupi (Halm 268)		43	IV 9	III 13
Securis manubrium (cf. Halm 123)		44	IV 10	III 14
Lupus et canis	51	45	IV 16 et 7	III 15
Membra et uenter (Halm 197)			IV 11	III 16
Simia et uulpes		46	IV 12	III 17
Asinus et galli	78	47	IV 13 et 5	III 18
Ceruus et boues	41	48	IV 6 et 16	III 19
Leo regnans	91	49	V 2	III 20
Vulpes et uua	80		V 3	IV 1
Mustela et mures	79			IV 2
Lupus (Lepus) et bubulcus		50		IV 3
Pauo et Iuno	62		V 4	IV 4
Panthera et pastores	16		V 5	IV 5
Vulpes in hominem uersa (Halm 88)			V 9	
Taurus et uitulus	102		V 10	

Fabulae deperditae Fabulae seruatae ab solo Perotto *Fabulae codd. PR quae apud Perottum desunt* Fabulae codd. *PR* Perottinae.	Ordo apud Phaedrum.	Numeri in paraphraseos fontibus nostris		
		Adem.	Wiss.	Rom.
Berbeces (*Veruceces*) *et lanius*				IV 6
Aues et auceps (cf. Adem. 20)				IV 7
Mendax, uerax et simii	90	51		IV 8
Equus et aper, apud Romulum *Equus et ceruus* . .	[84]			IV 9
Asinus et leo uenantes (non ex Phaedro Romulus).	[12]			IV 10
Coruus et aues				IV 11
Leonis spelunca (Halm 246, pseudo-Dosith. p. 42, 99)		59		IV 12
Cornix et urna (Auianus 27, pseudo-Dosith. p. 43, 98)	(*14a ?*)			IV 13
Puer et scorpius (Halm 350, pseudo-Dosith. p. 44, 97)				IV 14
Asinus aeger et lupus (pseudo-Dositheus p. 45, 99)				IV 15
Equus (= *Taurus*) *et hirci* (Auianus 13, pseudo-Dositheus p. 45, 100, cf. Halm 396, etiam 394)				IV 16
Homo leonem suffocans (Halm 63, Auianus 24, pseudo-Dositheus p. 45, 100).		52		IV 17
Formica et cicada (Halm 401, Auianus 34, pseudo-Dositheus p. 47, 101)		56		IV 19
Gladius et uiator				IV 20
Ouis et cornix		55		IV 21
Passer et lepus	10	57		
Equus asino negans hordeum		58		
Pulex (*Culex*) *et camelus*		60	IV 3	IV 18
Lepores et ranae (Halm 237).			I 4	II 9
Haedus et lupus		61	I 5	II 10
Canis senex et uenator	103	62	V 1	II 7
Vulpes et ciconia	*27*	63	II 3	II 14
Serpens a paupere uulneratus (Halm 96).		65	I 12	II 11
Ouis, lupus et ceruus	*17*		I 13	II 12
Caluus et musca	93	66	I 14	II 13
Aquila et miluus		67		(in Rom. Monac., Hervieux I² p. 464-465, extra locum suum leguntur libri II fabulae 3, 4, 14, 13, 16, 19, 9).

A Phaedro aliena uidentur argumenta ab Auiano admissa.

Libri I nihil habuit Perottus; ei igitur libro tribuendae sunt plerumque fabulae per solum paraphrasten notae.

Desunt in paraphrasi prologi, epilogi, et plerumque quas (§ 147) uocauimus *narratiunculas* de hominibus aut diis; praeterea *apologi* 16 et 31 (§ 146), 37, 40, 57, 60, 66, 70, 83, 86, 94, 121, 124-125, 127-128, 133-135.

De *Wiss.* v 6, 8, 11, *Rom.* I *pr.*, IV 22-23 (*Phaeder* 42-44), *u. p.* XV.

In fabula de equo phalerato et asino (*Adem.* 37, *Wiss.* III 3, *Rom.* III 3) Phaedri senarios nisi fallor fere incorruptos seruauit Ademarus :

Auro frenatus, insolens phaleris equus*
Asino oc*cu*currit, qui fatigatus malis
Quia transeunti tardius ded*era*t uiam,
« Vix me »* inquit « teneo *quin* te rumpam calcibus. »
Reticuit ille, *gemitu testatu*s* deos.
Equus currendo ruptus paruo in tempore
Ad uillam est missus. Hunc onustum stercore
Vt uid*e*t as*ell*us *ingredi per semitam*
In prato pascens, tali eum *uoce increpat*:
« Quid *glori*ari* quondam phaleris *profuit*,
Modo ad contemptam *qui* redisti miseriam ? »

1 Auro frenatus *add.* : ornatus freno ex auro et argento *Wiss. Rom.* — 1-2 asino occurrit equus — 3 quia...dederat *Wiss. Rom.* : dedit — 4 me inquit *Rom.* : inquit me — quin : ut non — 5 Reticuit : *de pede tribreui u.* § 68 — gemitu testatus : et gemitu testatur — 8-9 uidet asellus : uidit asinus, *cf. infra*; *de* hunc *cum praesenti u. ad* 95,22 — ingredi...pascens *add.*; tali eum irrisit uerbo *Adem.* — accepit ornamenta rustica et onustus ibat per semitam (*uel* -tas) *Wiss. Rom.*; *postea* asellus ille (asinus *Wiss.*) in prato pascens agnouit [equum] iam infelicem *Wiss. Rom.*; *denique* cui (quem *Wiss.*[2]) increpat talia dicens *Wiss.*, quem tali sono increpat *Rom.* — 10 gloriari...profuit : tibi gloriose quondam faleris *Adem.* tibi profuerunt tunc illa ornamenta pretiosa *Wiss. Rom.* (tunc *om. Rom.*) — 11 qui *add.*

Item nullo negotio restituitur pars uersuum in fabula de asino et boue (*Ademarus* 34).

Asellus et bos uno sociati iugo

trahebant. Bos dum conatur [paulo ualidius (*lacuna admittenda est*) incedere aegro cornu, asinus ipse negabat nullum leuamen accipere. Solus aratrum trahens bos cornu corruit et confestim mortuus est.

Asinum bubulcus carne bouis exaggerat ;
Qui multas inter plagas ruptus co*n*cidit
Et expirauit media collapsus *uia*
Tu*nc duplicem* ad praedam conuolant*es alites* :
Si te precanti mitem exhibuisses boui,
Non inmaturo nos *interitu pasceres*.

3 cecidit — 4 uia pondere collapsus — 5 tua uolucres aduenientes ad praedam conuolant dicentes — 7 iam inmaturo — pasceres tuo.

FABVLARVM PROSAICARVM APPENDICVLA

EX SCRIPTORIBVS AETATIS MEROVINGICAE

Gregorivs Tvron. Hist. Franc. iv 9 ed. Arndt (circa a. 553): Theodoualdus uero cum iam adultus esset, Vuldetradam duxit uxorem. Hunc Theodoualdum ferunt mali fuisse ingenii, ita ut iratus cuidam, quem suspectum de rebus suis habebat, fabulam fingeret dicens: *Serpens ampullam uino plenam repperit. Per huius enim os ingressus, quod intus habebatur auidus hausit. A quo inflatus uino exire per aditum quo ingressus fuerat non ualebat. Veniens uero uini dominus, cum ille exire niteretur nec possit, ait ad serpentem: Euome prius quod ingluttisti, et tunc poteris abscidere liber.* Quae fabula magnum ei timorem atque odium praeparauit...

V. Buecheler, Rheinisches Museum xli (1866) p. 3.

Fredegarii scholastici Chronicarum quae dicuntur iv 38 ed. Krusch (a. 612): Theudebertus terga uertens... Theudericus post tergum cum exercitum insequens, beatos et apostolicos uir Lesio Mogancensis urbis episcopus diligens utiletatem Theuderici et odens stulticiam Theudeberti, ad Theuderico ueniens, dixit: *Quod coepisti perfice* (cf. infra); satis te uteliter oportet huius rei causam expetire. Rustica fabula dicetur, ⌊*cum*⌋ *lopus ascendisset in montem, et cum filiae suae iam uenare coepissent, eos ad se in monte uocat, dicens: Quam longe ocolus uester in unamquemque parte uidere preualet, non habetis amicus, nisi paucus qui uestro genere sunt; perfecite quod coepistis.* Theudericus cum exercitum Ardinnam transiens, Tholbeaco peruenit...

PEROTTI PROLOGVS

(*Vsus sum imagine codicis N apud Hervieux et apographo V*[1].)

Nicolai Perotti epitome fabellarum Aesopi, Auieni et Phedri ad Pyrrhum (Perottum *add. N*) fratris filium adolescentem suauissimum incipit foeliciter:

Non sunt hi mei quos putas uersiculi
Sed Esopi sunt et Auienĩ et Phedri,
Quos collegi ut essent, Pyrrhe, utiles tibi,

= PHAEDRI Tuaque causa legeret posteritas
Quas edidissent uiri docti fabulas.
44,30 *Honori et meritis dicaui* (dicam V^r) *illos tuis*,
33,9? Sepe uersiculos *interponens* meos]
33,6? 43,1? Quasdam tuis quasi insidias *auribus*,
33,10? Solet quippe iuuare ista *uarietas*.
44,31 Hos *si leges laetabor: sin autem minus*,
32 *Habebunt certe quo se oblectent posteri.*
43,9 *Nunc fabularum cur sit inuentum genus*
10 *Breui docebo: seruitus obnoxia*,
11 *Quia que uolebat non audebat dicere*,
12 *Affectus proprios in fabellas transtulit*
13 *Calumniamque fictis elusit* (-siet *N*) *iocis* (ocis *V*).
Redeo unde discessi ad libellum meum.
77,15 *Hunc obtrectare si uolet malignitas*,
16 *Imitari dum non possit obtrectet licet.*
17 *Mihi* magna *laus est quod tu, quod similes tui*
Labores libenter legant usque meos
19 *Dignosque longa iudicent memoria.*
97,8 Semper *fugatae plus uetustati fauet*
9 *Inuidia mordax quam bonis presentibus*

Memoria lapsus distinxit Perottus *Aesopum* et *Phaedrum*, cum *Phaedri* essent fabulae *Aesopiae*, quas « adulescens » (u. ad fab. 61) descripserat, quo tempore Graece nondum sciebat proque σοφος legebat *certe* (120,15). Simili errore in Cornucopiae tribuit *Auieno* fabulam Phaedri 61. Ceterum distinctioni falsae ansam dederat ipse Phaeder 43,15 et 77,12. Equidem Phaedro sine ulla dubitatione tribuo quidquid Perottus seruauit iambice conscriptum; contra nuperrime dixit Ellis p. 26-28. Doctissimi uiri argumentum p. 26 parum ualidum uidetur : « ...these points of similarity in no way prove identity : an imitator reproduces the saliences of his model; and if Phaedrus had called the crane's long neck *colli longitudinem* [9,8], that is the very reason why he would *not* borrow from himself, and talk [107,16] of *nasi longitudinem* ». Cf. enim hos uersus :

95,4 *Facturus ludos* diues *quidam nobilis.*
100,16 Erat *facturus ludos quidam nobilis.*

Item cf. Ouidii uersus de apro :

A. a. II 374 *Fulmineo* rabidos cum rotat *ore canes.*
F. II 232 *Fulmineo* celeres dissipat *ore canes.*

Similia uersuum paria ex omnibus, credo, Latinis poetis afferri possint, in quibus eos uideas « to borrow from themselves ». Atque ita Phaeder in exemplo ab Ellis laudato sese imitatus est, ut dictionem suam felicissime nouaret. Nam in libro I *colli longitudinem* dicitur pro *collum longum*, ut *corui stupor* pro *coruus stupidus*, quod genus loquendi et parum utile et etiam putidum iure dicas; in altero loco multis post annis et arte iam matura positum est *traxit nasi longitudinem* pro *traxit nasum, qui trahendo longus fiebat.*

SYLLOGES PEROTTINAE CONSPECTVS

Fabulae in paraphrasi exstantes *Fabulae in paraphrasi deficientes*	Phaedri Auiani *Perotti uel alius*	Ordo apud Phaedrum.	Ordo apud Auian.
	Nicolaus Perottus Pontifex Sypontinus Tito Manno Veltrio Viterbiensi conciui suo S. P. D.		
	Nicolai Perotti Pontificis Sypontini fabellarum ad Pyrrum Perottum fratris filium index incipit		
III PR., IV PR., V PR.; — II PR.?	*Nicolai Perotti epitome... foeliciter* (index : *Prohemium libri*); textum prologi u. p. 276-277		
APP. I (Simia et uulpes)	Auarum etiam quod sibi superest non libenter dare		
	Ad libellum (index : *apostrophe ad lib-*)		
APP. XXXI (« *Hoc qualecumque...* »; u. p. 122).	De his qui legunt libellum (*index* : De h- q- librum uindicant)		
	De uirtute ad Lentulum (*ad L-* om. index)		
IV XXIII (*Simonides naufragus*)	De Simonide (*index* : De S- poeta, et quod homo uirtute et doctrina preditus omnia secum habet)	72	
APP. II (*Animalis cuiusque commoda*)	Non esse plus aequo petendum		
	De eodem fabella		8
APP. III (*Mercurius et mulieres*)	De eodem alia fabella		
	De malis uitae humanae ad Pyrrhum (index add. : *Grecum disticon*)		
III X (*Ciuis Romanus filium occidens*)	De fide non adhibenda temere et adhibenda oportune	61	
————	Longe praestare laboriosam uitam sine periculo (index : lab- s- p- uitam) agere quam molliter in ocio mori		

Fabulae in paraphrasi exstantes *Fabulae in paraphrasi deficientes*	Phaedri Auiani *Perotti uel alius*	Ordo apud Phaedrum.	Ordo apud Auian.
APP. IV (*Prometheus et Dolus*) (inter III XIX et IV XV)	De ueritate et mendacio	(inter 63-64)	
	Non facile cuique fidendum esse (*index add.*: multos enim esse infideles)		9
III XVII (*Arborum tutela*)	Nihil agendum esse quod non prosit (*index*: non utile ac commodum sit)	61	
	Ingenio aliquando superari naturam (index: *al- n- s-*)		
III XVIII (Pauo et Iuno)	Oportere (*index*: Oportet) omnes contentos esse sorte sua (*index*: s- s- c- e-)	62	
	Sua cuique maxime placere (*index*: S- cuiusque naturaliter m- pl-)		14
APP. IV[a] (« *Simulata interdum...* »)	Nihil diu occultum (*index*: Licet simulata uicia interdum prosint nihil tamen posse longo tempore occultum esse)		
APP. V (*Inferorum supplicia*)	Sensum (*index*: In omnibus rebus sensum) extimandum esse non uerba		
	Haud facile esse magnis obsistere (*index*: potentioribus resistere), nisi paulatim cedendo		16
II VIII (Ceruus et boues)	Dominos in rebus suis uidere plurimum (*index*: s- pl- u-)	41	
	Tunc recte fieri (a nobis *add. index*) omnia cum per nos facimus		21
III III (*Agni humano capite*)	Ratione potius quam oraculis agendum (*index*: res esse agendas)	47	
	Apte uerbum pro uerbo poni aliquando (index: *al- poni solere*)		
	Anseres ad eum qui (index: *quem*) *ludo calculi uictus miserat remissi duobus eunuchis* (index: *mis- a uictore rem- d- gallinaceis*) *pullis additis ita loquuntur* (index: *loquitur*)		
III XI *Eunuchus et improbus*)	Haud insectandum esse fortunae uicium	55	
	Ad Paulum Benignum enigma (add. index: *de duodecim mensibus filii et triginta diebus noctibus anni*)		
III XIII (*Apes, fuci et uespa*); cf. p. 280 in fine	Vbi dubia est sententia astu utendum esse	57	
	Epitaphium Iacobi Veronensis		

Fabulae in paraphrasi exstantes *Fabulae in paraphrasi deficientes*	Phaedri Auiani *Perotti uel alius*	Ordo apud Phaedrum.	Ordo apud Auian.
IV xxv (Formica et musca)	Neminem debere se exornare falsis laudibus	74	
	Ad amicum absentem (index : *Versus suauissimi ad a- a-*)		
V v (*Scurra et rusticus*)	Prauo fauore saepenumero homines labi (*index* : s- decipi h- solere)	95	
	Frustra fieri uota nisi te adiuues (*index* : u- ad superos nisi nos ipsos iuuemus)		32
IV xxi (*Vulpes et draco*)	In auarum [*uersus* 16-26, *deinde uersu interposito* 1-15] (*index* : Acerba reprehensio hominis auari)	70	
	De auaris (*index* : Contra auaros et nimis parcos homines fabella)		33
II vii (*Muli duo*)	*De diuitiis et paupertate ad Andream Contrarium Venetum* [*iambici* xv *Perottini*, quibus adiuncti sunt senarii Phaedri de mulis duobus]	40	
	Paupertatem cum libertate praestare summis diuitiis		37
	Iocus (index : Lascivus i-) *ad Theodorum*		
III xiv (*Arcus retensus*)	Relaxandum interdum esse iocis (ac ludis *add. index*) animum	58	
	Ad Caesarem de laurea		
APP. vi (*Oraculum Delphicum*)	De oraculo Apollinis (*add. index* : optimo atque sanctissimo)		
	Ad Argentinum (add. index : *cauenda esse omnia quae ab F littera incipiunt*)		
	Ad Iacobum (index : *Iacobum penultima correpta male proferri : et debere dici Iacobum penultima longa; et quadrisillabam esse ditionem*)		
APP. vii (*Aesopus et scriptor*)	De malo scriptore se laudante (*index* : Irrisio mali scriptoris se temere laudantis)		
	Ad Pyrrhum Perottum (add. index : *uersus faceti et blandi*)		
V i (*Demetrius et Menander*)	Quam (Quomodo *N*) saepe (in rebus humanis *add. index*) fallatur hominum (*index* : hominis) iudicium	98	
	Apostropha ad urbem Viterbium (index : *De pace et tranquillitate ciuium ad Viterbienses*)		
[III xiii (*Apes, fuci et uespa*) iterum; u. p. 279 in fine]	[Pulcher modus indicandi *N*; *hic iterum fabula in N, non in V; tamen V habet in indice :* De iudicio ferendo in rebus dubiis pulcherrima fabella]	[57]	

Fabulae in paraphrasi exstantes ***Fabulae in paraphrasi deficientes***	Phaedri Auiani *Perotti uel alius*	Ordo apud Phaedrum.	Ordo apud Auian.
	De amore superato (add. index : *tetrasticon*)		
	De apparatu aulae regis Alfonsi (index : *De admirabili app- a- regiae Alphonsi quando cardinalem Nicenum ad cenam inuitauit*)		
APP. VIII (*Pompeius et miles*)	Quam difficile sit hominem nosse (*index* : de homine uerum iudicium ferre)		
	De Atrebatum pontifice post mutatam uestem quae quasi rete contexta erat (index : *De A- pontifices postquam cardinalis factus mutauit uestem quae instar retis c- e-*)		
	Ad Nicolaum quintum pontificem maximum (add. index : *conquaestio*)		
	Epitaphium (index : *Breue ep-*) *Caesaris*		
APP. IX (Iuno et Venus)	De mulierum (continua et insatiabili *add. index*) libidine; *cf. APP.* XIII		
	Non modo qui male agit sed etiam qui suadet errare		39
APP. X (Adulescens et iuuencus)	Quomodo (*index* : Quemadmodum a parentibus) domanda sit ferox iuuentus		
	Qui minus cari sunt interdum mutata sorte cariores effici		35
III VIII (*Soror et frater*)	De speculo ab adolescentibus aspiciendo	52	
	Epitaphium Zucarinae catellae amatissimae (index : *Zuchar- c- amoeniss-*)		
III XII (Pullus et margarita)	Contra eos qui res optimas non gustant (*index* : o- non intelligentes contemnunt)	56	
	Aliquando breui dictu euitari iustam calumniam		40
APP. XI (*Aesopus et uictor gymnicus*)	Quomodo comprimatur aliquando iactantia		
	Epitaphium Scilli catuli		
	Epitaphium Ptholomei e Greco translatum		
APP. XII (*Asinus et lyra*)	Quomodo ingenia sepe calamitate intercidant		
	Debere se (*index* : sese) unumquemque metiri, nec alienis laudibus se (frustra *add. index*) ornare		5

Fabulae in paraphrasi exstantes *Fabulae in paraphrasi deficientes*	Phaedri Auiani *Perotti uel alius*	Ordo apud Phaedrum.	Ordo apud Auian.
APP XIII (Vidua et miles)	Quanta sit inconstantia (incontinentia *index*) et libido mulierum (-bris *index*); *cf. APP.* IX		
	Epistola (*breuis* add. index) *ad Dionisium Veronensem*		
	Epitaphium Iulii astrologi		
	Quod (*Quam* index) *grauia mala sepenumero casu eueniant*		
[III IX (*Socratis domus*)]	*Quanta sit uerorum amicorum penuria*	[53]	
	Socrates exiguas aedes dum forte pararet *E turba quidam talia uerba refert :* *Quidnam tam paruas uir tantus construis aedes?* *Impleat has utinam uerus amicus, ait.*		
II EP. (Aesopi statua)	Ingenio et uirtuti ueram gloriam tribui (exhiberi *index*)	42	
	Quod omnes in fortunam (semper *add. index*) calamitatis causam reiciunt		12
III XV (Agni mater)	Obstare sepe homines naturalibus legibus, meritis capi	59	
	De puella longos pedes habente		
	Laus Pii pontificis maximi		
III XVI (*Cicada et noctua*)	Non esse sponte alicui faciendam iniuriam nam qui humanitati se (qui se h- *index*) non accommodant plerumque poenas dant superbiae	60	
	Industriane hominis praestet leonis uiribus an e contrario		24
APP. XIV (*Diues et pauper proci*)	Fortunam interdum praeter spem atque expectationem (a- e- *om. index*) hominibus fauere		
	Duplici imminente calamitate magis illustrem (calamitate honestiorem *index*) esse appetendam		42
	De Saxoferrato (add. index : *quae urbs apud auctores Sentina dicebatur*)		
	De papa Pio (*De Pio pontifice maximo* index) *disticon*		
	De Aquapendente oppido		
APP. XV (*Aesopus et domina*)	Quam noceat saepe (Q- saepe hominibus obsit *index*) uerum dicere		
	Quam periculosum sit principibus subesse		41
	De Diana et Hectore		
APP. XVI (*Gallus et feles lecticarii*)	Nimiam securitatem sepe in periculum homines ducere		

Fabulae in paraphrasi exstantes *Fabulae in paraphrasi deficientes*	Phaedri Auiani *Perotti uel alius*	Ordo apud Phaedrum.	Ordo apud Auian.
	De asparagis et lacte		
	Ad Brigidam (*Brigulam* index) *iurisconsultum quem licet uictor donauerit poeta* (*q- p- l- u- d-* index)		
	Ad Iulium tetrasticon		
APP. XVII (Scrofa parturiens)	Faciendum prius (Prius f- *index*) de homine periculum quam eius te committas fidei (f- te committis *index*)		
	Eos magis admirandos (*hic om., post corporis add.* magis adamandos *index*) qui ingenio ualent quam qui uiribus et (aut *index*) pulchritudine corporis		40
IV XXII (« *Quid iudicare...* »)	Multum semper inuidie inter homines esse (inuidie hominum postera occupare *index*)	71	
	Breuibus dictis retundi saepe aliquorum insolentiam		38
APP. XVIII (*Aesopus et seruus profugus*)	Non esse malo addendum malum (malo m- addendum *index*)		
	Laborandum esse dum aetas florida est ne adueniente senectute frustra aliorum auxilium imploremus		34
APP. XIX (*Equus in pistrino*)	Ferendum esse equo animo quidquid acciderit	(inter 42-43? § 160)	
APP. XX (*Vrsus esuriens*)	Famem (saepenumero *add. index*) acuere animantibus ingenium		
	Epitaphium Pierii Antonii Benteuolei		
	Federici Bentiuolei fratris epitaphium (*Ep- Fed- Benteuolei fr-* index)		
APP. XXI (*Viator et coruus*)	Verbis sepenumero decipi solere homines (h- s- d- *index*, h- d- s- *N*)		
	Etiam paruos aliquando magnis (maioribus *index*) obesse		31
APP. XXII (*Pastor et capella*)	Nihil ita occultum esse quod non reueletur		
APP. XXIII (*Serpens et lacerta*)	Vbi leonis pellis deficit uulpinam insuendam esse, hoc est ubi deficiunt uires astu utendum		
II VI (Aquila, cornix et testudo)	Potentibus non facile resisti posse : quod si nefarius consiliator (consultor *V*) accesserit omnia pessumdari	39	

Fabulae in paraphrasi exstantes *Fabulae in paraphrasi deficientes*	Phaedri Auiani *Perotti uel alius*	Ordo apud Phaedrum.	Ordo apud Auian.
	De Pio pontifice maximo (*disticon* add. index)		
	Vrbano dicto principum (-pis *index*) iram aliquando comprimi, et contra eos (et is *index*) qui saepe (semel *index*) in peccato comprehensi non abstinent (tandem male cedere *add. index*)		30
	Quae non sine ratione fiunt, ab his qui non (non *om. index*) intelligunt horrori haberi		29
III II (Panthera et pastores)	Non esse faciendam (fac- esse v) alicui iniuriam	46	
III I (*Anus et amphora*)	Luxuriosos et[iam] sola luxuriae cogitatione delectari	45	
III IV (*Lanius et simius*)	Aspectu hominum saepe iudicium falli	48	
III V (*Aesopus et petulans*)	Male agentes processu temporis puniri	49	
III VI (Musca et mula)	Vanas minas sine uirtute parum momenti habere	50	
	Quantum prudentia uiribus praestet		27
	Non esse improbi hominis consilio credendum		26
	Incerta spe perdere saepe homines quae certa habent et prouecta aetate (prouectos aliquando *index*) homines a pueris decipi		25
III VII (Lupus et canis)	Quam dulcis sit libertas	51	
	Eos quibus permissa est rerum potestas posse et bene et male facere (agere *index*)		23
	Quanta sit in hominum mentibus (moribus *index*) inuidiae uis		22
IV XXVI (*Simonides et pycta*)	Quantum momenti habeant (-at *index*) pietas et religio diuina	75	
	Quantum possit concordia et quantum discordia obsit		18
III XIX (*Aesopus et garrulus*)	In tanta mortalium multitudine paucos esse homines	63	
	Saepe in mediocri aspectu maiorem esse uirtutem		15
	Interdum homines metu maioris cedere etiam minoribus		13

Fabulae in paraphrasi exstantes *Fabulae in paraphrasi deficientes*	Phaedri Auiani *Perotti uel alius*	Ordo apud Phaedrum.	Ordo apud Auian.
		....	
V II (*Milites et latro*)	Multos in rebus secundis fortes esse qui in dubiis sunt timidi	92	
	Natura qui imbecilliores sunt semper timere		11
V III (Caluus et musca)	His qui casu (Eis qui risu *index*) peccant dandam esse ueniam, qui uero consulto delinquunt eos esse puniendos (delinquunt hos merito p- *index*)	93	
V IV (*Asinus et porcelli hordeum*)	Vitandum semper esse periculosum lucrum	94	
	Multis ad ignominiam adscribi quae sibi laudi esse putant		7
APP. XXIV (Ouis et cornix)	Multos lacessere debiles et cedere fortibus (M- l- infirm[i]ores, fortioribus autem c- *index*)		
	Detrahere sibi fidem qui alios facere uolunt quales ipsi non sunt		6
APP. XXV (*Seruus moechus*)	Nullum maledictum esse grauius conscientia		
	Viribus potius fidendum esse quam minis		4
APP. XXVI (Lepus et bubulcus)	Multos uerbis blandos esse, pectore infideles		
	Nullam esse mulieribus adhibendam (hab- *index*) fidem		1
APP. XXVII (Meretrix et iuuenis)	Multa esse iucunda quae tamen sunt incommoda		
APP. XXVIII (*Feber siue castor*)	Multi uiuerent (etiam *add. index*) si aliena gratia parui facerent fortunas (suas *add. index*)		
APP. XXIX (*Papilio et uespa*)	Non praeteritam sed presentem aspiciendam esse fortunam		
APP. XXX (*Terraneola et uulpes*)	Prauis non esse fidem adhibendam		
	De Gallo Aethiope seruo Pyrrhi Perotti (*seruo P- P-* om. index) *cum puella deprehenso*		
	Theognidis uersus (*de fide* add. index) *in seditione seruanda e Greco* (*de Gr- in Latinum* index) *translati*		
	Versus Homeri de immutabili necessitate mortis (e *Graeco in Latinum* add. index)		
	Melissi uersus de primo ente e Greco translati		
	Versus Parmenidis (*Armenidis uersus* index) *de ente finito ex Greco translati*		
	Eiusdem uersus de elementis rerum (*e Graeco translati* add. index)		

	Perotti uel alius
	Eiusdem uersus de ente immobili (*e Graeco translati* add. index) *Versus* (*Eiusdem* index) *Solonis e Graeco translati de diuitiis* (*uitio* index) *et uirtute* *Epitaphium Platonis e Greco translatum* *Epitaphium Virgilii Maronis a Nicolao Perotto* (*V- a N- P- compositum* index) *Epitaphium Virgilii ab eodem Nicolao compositum* (*Ep- eiusdem ab e- c-* index) *Oraculum Apollinis de isthmo a Nic° P. e Greco* (*e Graeco ab eodem* index) *in Latinum conuersum* *De coco ignauissimo ad amicum* (*ad a-* om. index) *De eodem coco* *In personam Pyrrhi filii fratris, endecasillabos post cenam offerentis sedentibus* (index : *Endecasillabi a Pyrro fratris filio in conuiuio recitati*) *Ad Sismundum qui* (*quod* index) *febre uexatus uotum* (*beato* add. index) *Hieronimo fecerat* *Omnia in hoc mundo uana esse* *De milite furibundo* *De uero Deo et uera fide ac* (*f- ac* om. index) *religione ad Pomponium* *Ad Iulium Pomponium* (om. index)

Phaedri desunt 1-38 (I PR. — II v), nisi aliqua memoria seruata est ex 33 (u. p. 277); item 64-69 (IV xv-xx) et 73 (IV xxiv); item 78-91 (IV i-xiv); item 99-103 (V vi-x). Consulto, puto, omisit Perottus 73.

Auiani desunt 2-3, 17, 19-20, 28.

In fine codicis *V* leguntur haec :

1517.

Federicus ueteranus Vrbinas bibliothecarius ad memoriam.

Ne careat lacrymis liber hic post fata feretri
Hic me subscripsi; cumque dolore graui
Hunc ego iamdudum Federicus stante feretro
Transcripsi; gratus uel fuit ille mihi
Quem modo uel semper fas est lugere parentem
Et dominum, qui me nutriit atque diu.
Pagina testis erit lacrimis interlita multis
Haec tibi, qui mesta haec carmina pauca legis;
Et si dissimilis conclusit littera librum
Scriptorem ignarum me dolor ipse facit.

Perotto cum de re metrica parum constaret (u. ad 54,39), admisit ille homo quae nunc uix credibilia uideantur. Velut putauit spondeum in sexta sede esse legitimum : 41,14 ; 41,27 ; 47,13 ; 54,44 ; 54,47 ; 56,4 ; 61,3 ; 71,1 ; 72,13 ; 104,5 ; 120,15 ; 125,4 ; 131,5 ; 135,12...

Non ignorauit Perottus fuisse in usu pedes trisyllabos (iterum u. ad 54,39). Sed saepe haesit, ubi uersum inueniebat syllabarum plus duodenarum, quare, dum Phaedri senarios interpolando suos facit, compluries syllabas detraxit singulas uel binas. Pro ternis denis posuit duodenas 39,8 ; 39,15 ; 41,10 ; 41,27 ; 44,30 ; 47,13 ; 51,10 ; 54,44 ; 59,5 ; 72,11 ; 75,15 ; 92,13 ; pro quaternis denis ternas denas 40,7 ; 41,13 ; 51,22 ; 54,2 ; 56,6 ; 61,3 ; 72,10 ; 75,29 ; etiam 63,8, ubi reuera nimis longus tradebatur uersus ; pro quaternis denis duodenas 51,25 ; 56,4 ; 62,9 ; 92,12 ; pro quinis denis quaternas denas 52,4 ; 59,9 ; 60,4 ; 72,15 ; pro quindecim tredecim 74,17 ; imprudens puto tres uersus ita coartauit ut syllabae superessent tantummodo undenae, 41,11 ; 47,14 ; 95,8.

Rarius auxit syllabarum numerum ; inscius fortasse posuit *existimo* pro *aestimo* 48,5 (cf. *extimandum* tit. 110); *lapides* pro *lapidem* ante uocalem 49,2 et *gemitus* pro *gemitum* 70,22 (u. ad 39,11) ; *alueos* pro *aluos* 57,9 ; *de* pro *e* post *porcellum* 95,36 ; mendis codicis sui inductus, nisi fallor, scripsit *huic eo* pro *hic bos* 41,5 ; *ipsius pastorem* pro *ipsos pastores* 46,13 ; *custos si fueris* pro *custos ut sis* 51,9 (cf. 62,1); obscuritatem fugiens pro *liber ut non sim mihi* 51,27 finxit hemistichium *nisi libertatem habeam*.

Vbi autem aliqua de causa addebat Perottus uocem aut syllabam, fere cauit ut quaedam fieret in eodem uersu compensatio. Addito *monet* 39,12 sustulit *altis* ; addito *esse* 47,8 sustulit *et* ; addito *sic* 58,13 sustulit *tibi* ; addito *supra* 75,4 sustulit *idem* ; addito *et* 95,4 ita uocum ordinem immutauit ut *quidam* elideretur. Pro *quod* posito *quia* 41,16, pro *praestiterint* posuit *praestarent* ; pro *insitiuos* posito *illegitimos* 47,10, pro *significari* posuit *significat* ; pro *cruce* posito *sceleris* 49,10, pro *persoluit* posuit *soluit* ; pro *perscrutatus* posito *bene scrutatus* 54,47, pro *crimina* posuit *crimen* ; pro *quis* posito *quisque* 61,8, pro *narrauit* posuit *inquit*. Cum legisset *suo sedit* pro *subsedit* 54,20, pro *deinde* posuit *dehinc* ; itidem egit 54,36 (*magna insolentem* pro *maligna insontem*) ; 72,13 (*inquit tu nihil ex istis sumis*, praeeunte elisione, pro *tu ex opibus nihil sumis tuis*) ; 41,1 (*nemorum exagitatus* pro *nemorosis excitatus*) ; 47,15 ; 58,4 ; 62,6 ; 71,3 ; exemplum insigne est 54,39, ubi, posito *pontificem maximum* pro *a diuo Augusto*, pro *tunc petierunt* posuit *rogarunt*.

Ea debent penitus animo tenere, qui iudicaturi sunt de Perotti uariis lectionibus. In fabulis autem Appendicis, quas solus seruauit, textum patet esse dubitationibus permultis obnoxium. Ex Taciti Germania nuper reperta interpolauit ille uersum 106,6. Cf. § 98. De singulari numero pro plurali et plurali pro singulari u. 70,22. Fortasse, quae Perottus adulescens descripserat (p. 277), ipse postea minus bene legit ; uelut 109,23 potuit ipse pro *m'ita* legere *uitia*, 115,12 *nisi istum* pro *ni filium*.

INDEX FABVLARVM ET TITVLORVM

D

E

F

G

DISQVISITIONVM CRITICARVM PARS PRIOR :

DISQVISITIONVM CRITICARVM PARS POSTERIOR :

29548. — Imprimerie Lahure, rue de Fleurus, 9, à Paris.